



5-ⁿ 25



FD
157







CORN. VAN BYNKERSHOEK,
JCTI & SENATORIS,
DE

FORO LEGATORUM

TAM IN CAUSA CIVILI,
QUAM CRIMINALI,

LIBER SINGULARIS.



Rev. X2B
252777

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOANNEM VANDER LINDEN, Jun.

CIO 10 CC XXI.

CONVENTUS
CATHOLICORUM
MURATORIUM
GARIBOLDI
LIBERIS



LIBERIS
MURATORIUM
CONVENTUS
CATHOLICORUM

Amplissimo Gravissimoque

V I R O

CASPARO VAN CITTERS
ILLUSTRIUM AC PRAEPO-
TENTIUM ZELANDIAE
ORDINUM SYNDICO,

S. D.

CORN. VAN BYNKERSHOEK.



d Te, Vir Amplissime, ve-
nit hic libellus, nomini tuo
inscriptus. Et cui potius
inscribam, quam Tibi? Ze-
landus Zelando? &, quod
magis est, & per Te dicere licet, amicus
amico? oportunum quoque est, de re
Legati, Legati filium adire, & eum
quidem, qui de quaestione, quam hic
tracto, & qua non alia magis illustris
est in omni, quod de Legatis exstat,
argumento, etiam de plano pronun-
ciare potest. Si ex Jure Romano ma-
nus conferenda, Tu Jctus, & Sena-

DEDICATIO.

tus Flandrici Exsenator, copias tuas
explicare potes; si ex Jure Publico,
& moribus Gentium, praesto Tibi
sunt Edicta & Decreta Principum &
Ordinum, praesto illa perpetuo usu
inter diversos sui juris Populos obser-
vata consuetudo, quam solida & mas-
cula ratio iis persuasit, & *Jus Gen-*
tium appellamus. In eo jure nunc
totus versaris, postquam relicto jus
dicens officio, Reipublicae per va-
rios gradus admotus, nunc tandem
prudens Gubernator sedes ad clavum
Zelandiae nostrae, solicite cavens,
ne quid Respublica detrimenti ca-
piat. Si exponam, qua fide, dili-
gentia, & peritia, id agas, quod da-
gendum est, Tibi, pro modestia tua,
gravis essem, nec quicquam dice-
rem, quod non etiam in vulgo no-
tum sit: nemo enim est, qui nes-
cit, Te ita agere rem publicam,
ut diligentissimus quisque Paterfami-
lias solet agere rem privatam. Sed
haec mitto, & Te potius causae, quam
hic

DEDICATIO.

hic ago , arbitrum esse volo , Tu
decerne , an quae de foro Legato-
rum disputavi , Juri Gentium conve-
niant , utque ea de re publice potes
dicere sententiam ex facto , quod
apud Ordines Foederati Belgii ad-
huc finiendum est , sic , si privatim
dicas , & me moneas doceasque ,
semper Te audiam . Diu vive &
vale , Vir Amplissime , & me amicitia
tua dignari perge . Hagae Batavorum
ipsis Calendis Augusti MDCCLXXI.

AD L E C T O R E M.

Non puto ullum Juris Publici argumentum plus agitatum esse, quam id, quod circa Legatos versatur. Veteres, Recentiores in eo illustrando certatim Symbolam contulere. Vis eorum nomenclaturam? prolixam exhibet Joannes Hotmanus post libellum, quem Gallice scripsit de l'Ambassadeur, prolixam quoque Christophorus Besoldus in Prolegom. Dissertationis de Legatis eorumque jure. Nec tamen penitus elaboratum, vel exhaustum esse, quicquid est ejus argumenti, tot posteriora Opera significant, & significabit Opusculum, quod nunc edo, de Foro Legatorum. Ex facto mihi nata est ejus scribendi occasio. Quaerebatur apud eos, qui rem publicam Foederati Belgii curant, an & Legatus mercator, ex causa mercaturae, apud nos conveniri posset? Curia Hollandiae, sententiam rogata, posse respondit, ut prolixius enarro Cap. XIV. Quid mihi, quid aliis videretur, cum inter amicos quaesitum esset, sententiam meam, quam tunc privatim dicebam, publice me dicturum promisi, & ecce fidem datam libero. Causa civilis, quae tunc inciderat, non aliam disputationem desiderabat, quam de foro Legati in causa civili, sed quia magis laboratur de foro Legati in causa crimi-

A D L E C T O R E M.

eriminis, ne quid deësset huic argumento, utrumque forum bac Dissertatione complexus sum.

Curia Hollandiae, ab Ordinibus Hollandiae etiam alias consulta, de foro Legatorum varie respondit. Tandem ad Jus Gentium, quo olim plane exciderat, tantum non reversa est. Vix tamen dici potest, eam sibi in hoc argumento vel olim satis constitisse, vel hodie satis constare. Quum vero ad solam Curiam pertineat, quaecunque tandem sit, de Legatis cognitio, postulabat rei dignitas & magnitudo, postulabat ipsa Reipublicae tranquillitas, ut in causa Legatorum eodem semper jure uteretur, nec exteri, quin & quandoque subditi ei exprobrarent Juris Publici ignorantiam. Curiam, bac parte, defendo Cap. VII. sic tamen, ut sententiis saepe variaasse non negem. Si placeat re possint, quae hic scripsi, semel erit, quod sequamur, si non possint, sequamur aliud, & melius, sed id operam demus, ut in controversia, quae de Jure Gentium est, sequamur consuetudinem Gentium, nec soli sapiamus ex nostro ingenio. Scio, ex sola ratione, aliud & aliud de foro Legatorum placere posse, at scio, eam rationem vincere, quam usus Gentium probavit, & hoc est, quod hic vel maxime defendo. Quid ipse sentiam, leges, si commodum est, in hoc exiguae molis libello, si non est, heic loci non audies.

Con-

AD LECTOREM.

Constitueram etiam disputare de foro ci-
li & criminali eorum, quos singulæ Civita-
tes seu Provinciae (quas vocant) mittunt ad
Collegium Ordinum Foederati Belgii, vel ad
alia Collegia, quae terra marique Foederis
curam habent, constitueram de his addere,
qui ex singulis Urbibus ad Comitia Ordinum
cujusque Provinciae, vel ad Collegia, quae
ab his pendent, mittuntur, nam & omnes il-
li sunt Legati, & saepissime de his quaesitum
est, & bellissime quaeri potest. Sed abstinui,
quia ea tractatio non tam pertinet ad Jus
Gentium, de quo hic ago, quam ad Jus Pu-
blicum & singulare Foederati Belgii, &
quia sic hoc Opusculum excrevisset ad majo-
rem molem, quam ut scribere potuisset tam
festinante calamo, ut nunc scriptum vides, si
rationem putare velis ejus temporis, quod ef-
fluxit ab exorta quaestione, quae etiamnum
apud Ordines indecisa pendet, ad usque hunc,
qui labitur, diem. Memineris etiam, me non
aliter scribere, quam solent occupatissimi. Ita,
Lector, vale.

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,
JCti & Senatoris,

DE
FORO LEGATORUM,
tam in causa civili, quam criminali,
LIBER SINGULARIS.

CAP. I.

Legatorum varia nomina, nec una conditio, sed nihil haec pertinere ad Forum competens.



egati varia nunc nomina, rem ipsam idem sunt. Apud Veteres distinctum non invenias, una fere ibi legati vox vel Oratoris. Hodie ex pompa magis, vel stipendi magnitudine, quam alia ratione appellationibus distinguuntur. Ipsae appellationes aliis enumeratae, & vulgo notae sunt. *Oratoris* nomen, apud antiquos Romanos frequentissimum, tantum non obsolevit, nisi quod Ordines Generales Foederati Belgii in veterioribus Decretis suum ad Turcorum Imperatorem legatum, *Oratorem* appellant. Ne quidem

apud Veteres obtinuit illa legatorum distinctio, quae cum maxime celebratur, ut alii sint extraordinarii, alii vero ordinarii. Extraordinarii, quales olim erant omnes, mittuntur cum mandato certae aliquujus rei agenda, ordinarii non unius, sed omnium rerum, atque adeo & explorandi ergo in Amicorum Aulis habentur. Sane mutata Europae conditio ordinario-rum usum & utilitatem introduxit. Romani Veteres iis usi non sunt, quia pa- rum commercii cum exteris exercebant, neque ab hoste tantum sibi metuebant, Imperii magnitudine & limitaneis castris tuti, interdicto & quandoque cum exteris commercio, ac si arcana alterius Imperii scrutari displiceret *I. 4. C. de Commerc. & Mercator.* Sed alia rerum facies esse coe- pit, cum post Imperii Romani finem plurimi Principes, qui quis sui juris, & plurimae minutae Respublicae exortae sunt, & cum late coeperunt fervere commer- cia, in alio fere Imperio exercita, ubi vix tutum est agere sine magnae aucto- ritatis Patrono, qui mercatorum defenso- rem agat. Ne dicam, metum quoque auctum, & frequentes nomine publico querelas perpetuam fere legationis mate- riam praebere. Atque inde iis ordinariis legationibus nihil est frequentius, quibus folis

DE FORO LEGATORUM CAP. I. 3

solis ii Principes non utuntur , quorum subditi , ut olim Romani , magis sese Imperii sui limitibus continent . Quin Belgis Foederatis expediant , propter ea , quae dixi , non video , cur dubites . De eo tamen quaesitum est in extraordinariis Ordinum Generalium comitiis anno 1651 . sed nihil definitum , re ablegata ad ordinaria eorundem Ordinum Comitia .

Quaecunque autem legatorum nomina sint , & quaecunque legatio , sive ordinaria , sive extraordinaria , quamvis & pro mittentis , & pro missi dignitate & titulo alias atque alias legatis habeatur honor , id tamen constare debet , si , ut oportet , ex Jure Gentium causam aestimemus , legati personam semper aequae sancte habendam , semper aequae custodienda jura , quae legatis , tanquam legatis , debentur . Inter legatos certe , ubi de tuitione eorum adversus vim injustam agit , non distinxit Ulrianus in l. 7. ff. ad L. Jul. de vi publ. cum ait , lege Julia de vi publica teneri , quod ad Legatos , Oratores , Comitesve attinebit , si quis eorum quem pulsasse , sive injuriam fecisse arguetur . Nec etiam , in eadem causa , distinxit Pomponius , & Veteres Juris Auctores , ab eo laudati , in l. ult. ff. de Legatione . nimis scilicet juris publici , quod etiam profitebantur , periti , quam ut in

legato, qui codicilos habet a Principe; vel populo, qui sui juris est, quicquam facerent discriminis in iis, quae ex Jure Gentium descendunt.

Hollandiae Ordines, id jus sequuti, etiam omnes species legatorum, qui nunc sunt in usu, recensuerunt, cum vim injustum a legatis arcendam decreverunt, nam ecce anno 1651. 29. Mart. Edicto facto gravissimam indignationem suam minati sunt, si quis legatis eorumve comitibus, domui, caeterisve rebus aliquam injuriam fecisset, *Ambassadeurs*, ajunt, *Residenten*, *Agenten*, of andere Ministers van Coningen, *Princen*, Republycquen, of andere, de naam van publicque Ministers dragende. Neque etiam Ordines Generales Foederati Belgii distinxerunt inter Legatos in Edicto 9 Sept. 1679. & Decreto 19. Jun. 1681. de quo utroque deinde plenius agemus, sed vel conjungunt *Ambassadeurs en Ministers*, vel de his solis loquuntur, generali appellatione.

Haec eo pertinent, ut sciamus, in quaestione, quam nunc excutimus de foro competenti legatorum, distinguendum non videri, cuius conditionis vel nominis legati fuerint, nam jus revocandi domum, quod legatis debetur, debetur ex jure Gentium, ejusque participes sunt non tantum legati primae, sed & secundae & inferio-

DE FORO LEGATORUM CAP. I. 5

ferioris dignitatis. Utque adeo nesciam, quo jure Curia Hollandiae Anno 1644. & manifestius Anno 1659. responderit, illa legatorum privilegia, quibus jurisdictioni eximuntur eorum, apud quos degunt, ad eos duntaxat pertinere, qui, ut ajunt, cum eminenti & summa dignitate mittuntur, & *Ambassadeurs* appellantur. Responsa illa narrat Aitzema *Libr. XXIV.* p. m. 792. & *Libr. XXXIX.* p. m. 680. Atque ea ratione ipsa illa Curia Hollandiae, cum 25. Oct. ejusdem anni 1644. Edictum promulgasset adversus eos, qui ad legatorum aedes concursum, turbam, vim faciunt, non est loquuta nisi de solis aedibus *Ambassadeurs*, ac si aliis minorum Gentium legatis satis cautum esset jure communi, vel his non deberetur ea tuitio, quae majorum Gentium legatis debetur, cum tamen utriusque veniant aeque fide publica, aeque a Principe sui Juris, nec quam mutet, si, vel ut sumptibus parcatur, sive alia de causa, alio atque alio nomine eos appellemus. Sunt Principes, qui nunquam mittunt *Ambassadeurs*, eorum igitur legatos a Jure Gentium excludemus? ea Juris Publici prudentia nos non utimur, & eam etiam merito damnarunt Wicquefort en son *Ambassadeur L.* *I. Sect. 5. princ. & Sect. 27. p. 813. & Ait-*

C A P. II.

*Forum competens unde aestimari o-
porteat.*

Igitur qualescunque legati disputationi nostræ argumentum præbent. Priusquam, ubi hi conveniantur vel accusentur, porro inquiram, intererit scire, quæ fori competentis origo & natura sit. Omnis jurisdiction, cum in causa civili, tum criminali, solius Principis est, hancque vel ipse exercere potest, vel alteri mandare. Utcunque placuerit, extra personas vel res, Imperio ejus subditas, neutiquam ea extendi poterit: nam ut Juris Civilis decretum est, *extra territorium jus dicenti impune non pareri*, ita Juris Gentium vox, *impera, sed in subditos*. Pendet ea res a sola subjectione, & absque ea si sit, irrita est omnis jurisdiction, & irrita, quae eam praecedit, in jus vocatio. Si quis in jus vocatus non iverit, mulcta tenetur l. 2. §. 1. ff. *Si quis in jus vocat. non iver.* at quis mulctam dicet in non subditum? qui in jus vocatus fidejussorem dedit, sed non subjectum jurisdictioni ejus, ad quem vocatur,

catur, pro non dato fidejussor habebitur
l. i. ff. Eod. Omnibus Magistratibus secun-
dum *jus potestatis suæ* concessum est Juris-
dictionem suam defendere judicio poenali
l. i. pr. ff. *Si quis jus dicenti non obtemp.* at quae
potestas in personas vel res, jurisdictioni
Magistratus non subditas? quis judex non
subditum cogat ad id, quod extreum est
in Jurisdictione? Nempe ubi sumus, conve-
nimur, quia subjecti sumus, ubi contraxi-
mus, convenimus, quia, dum subjecti era-
mus, contrahentes, nos ei Jurisdictioni ob-
ligavimus. Cum lex ait, ne quis contrahat,
nisi & impleat contractus fidem, de subje-
ctis loquitur, & id jubet, quia subjecti su-
mus, inutilis alioquin est ea jussio, ut est
omnis lex, in non subditum scripta.

Subjectio autem, ut modo indicabam,
duplex est, altera personae, altera rei, in
Imperio, quo de agitur, sitae, & ex u-
traque forum sortimur. Persona forum
sortitur ex loco domicilii, quia, nisi pri-
vilegium obstat, Magistratui suo subjecta
est. De arrestis, ut verbo forensi, ubi-
que nunc recepto, utar, ex sola subje-
ctione etiam aestimandum est. An arre-
sta apud Romanos fuerint in usu, & fo-
rum competens tribuerint, ut hodie ubi-
que fere Gentium tribuunt, non est, ut
prolixè inquiram. Omnino non fuisse in

usu, non ausim adfirmare. Cum eo, qui, cum Provincia abiret, pecuniam, quae penes se esset, ad aerarium professus retinuerit, non esse quidem residuae pecuniae actionem Paulus scripsit in *l. 9. §. ult. ff. ad L. Jul. pecul.* sed tamen posse eum, qui hoc imperio utitur, eam pecuniam exigere, *pignus capiendo*, CORPUS RETINENDO, mulctam dicendo. Et adversus peregrinos, utique in causa criminali, jurisdictionem esse significat Proculus in *l. 7. ff. de Captiv. & postlim. revers.* nam cum in princ. dixisset, liberos & foederatos nobis extros esse, addit in §. 2. At fuit apud nos rei ex Civitatibus foederatis, & in eos damnatos animadvertisimus. quod ipsum, in eandem sententiam, adfirmat Paulus in *l. 3. ff. de Offic. Præsid.* Frustra simus, nisi id jus derivemus ex sola ratione subjectionis, ut inde quoque derivanda est omnis origo Arrestorum, quibus hodie tam prolixè utimur. Cur bona detinemus, nisi quod subsint Imperio ejus, qui, injecta manu, detinere jubet, sive mobilia, sive immobilia sint? cur ea detentio jurisdictionem tribuit, nisi quod judex bona rei, a se damnati, possit executioni dare? Pragmaticorum versuta nation etiam detentionem rei vilissimae putat sufficere ad forum tribuendum, etiamsi nulla

DE FORO LEGATORUM CAP. II.

nulla in eam fieri possit executio ejus, quod jussit vetuitve judex, sed quo jure id dicatur, nunc non disputo, modo constet, solam subjectionem arresto causam dare posse. De personis eadem inspectio est, nam sive peregrinos detineamus, si-
ve, ubi id licet, ejusdem Imperii subdi-
tos, sed in alieno territorio, non aliam ob
causam detinemus, quam quod ubicun-
que quis invenitur, ibi & subjectus esse
intelligatur, & quia subjectus est, cogatur
parere jurisdictioni ejus, qui eum in jus
vocavit. Quapropter non satis animadver-
to, quid sibi velit Neostadius *Decis. Supr.*
Cur. 83. cum ait, *sequestrandi*, ut ipse vo-
cat, *jus soli Curiae dari ex causis in jure
expressis*, & eo etiam *Civitates ex privile-
gio uti*, *Pagis vero idem jus a Principibus
concessum non esse*. Nullae sunt causae ex-
pressae in jure, ob quas Curia arresto de-
tinere possit, nulla sunt privilegia, qui-
bus id Civitatibus datum est, denique ubi-
cunque Magistratus loci jurisdictionem
& imperium habet, recte fiunt arresta,
etiam in agro, nisi specialis lex sit, quae
vetat, vel mutua pactio, vel privilegium,
quod a jure communi eximat. Hujusmo-
di leges, pactiones & privilegia quam plu-
rima sunt, sed quae nunc non recensco.
Absque his si sit, sequemur jus commu-

ne, nec quicquam curabimus illam, quam memoravi, verborum balbutiem.

De origine Arrestorum mirum est, quam varie disputet vulgus. Poteris animum his deliciis pascere, si legeris, quae habet Peckius *de jure sistend. C. 2.* Busius ad *l. I. ff. de Judic. n. 7.* Hilliger ad Donellum *L. XVII. C. 15. lit. Q.* Groenewegen ad *l. un. C. Ubi conven. qui cert. loc. dare prom.* & Voet ad *Tit. ff. de in jus voc. n. 22. & 23.* Sed & poteris ea omnia pro non scriptis habere, & animum duntaxat applicare ad diversa, quae nunc sunt, Imperia, & diversas, quae inde nascuntur, personarum & rerum subjectiones. Imperium Romanum cum ab uno regeretur, injuria arresti adeo placere non potuit, incommoda quippe subditis, sed postquam Imperium Romanum in tot distincta Imperia est divisum, quin dissectum in tot particulias, casque singulas sui juris, etiam singulæ sibi suorumque commoditatibus prospexerunt, maxime adversus exterces. Et quamvis plurima Imperiola postmodum coaluerint, & invicem coiverint, retinuisse tamen videntur jus antiquum, quo, cum divisa essent, utebantur. Utebantur autem primum contra peregrinos, nec sine aliqua rationis specie, quia eorum commoditati non ita prospicit lex, ac pro-

prospexit utilitati subditorum & incolarum. Atque ita divisae olim Hollandiae Ditiunculae jure arresti usae sunt adversus exterorū, ut variae earum antiquae leges demonstrant. Sed deinde, quamvis coa- luerint, & contra se invicem usae sunt, & generale jus esse coepit, ubi quis inveniatur, recte eum conveniri posse, &, si abeundi metus est, detineri, cum tot censeantur subjectiones, quot sunt, territoria, etiam sub uno eodemque Principe. Et hoc jure nos utimur, nisi, ut diximus, specialiter secus sit constitutum.

C A P. III.

*Princeps in alterius Imperio quo
jure censeatur, quod ad forum
competens.*

Antequam de legato, qui faciem Principis adfert, videamus, de ipso Principe ejusve bonis primum meretur despici. Ita autem in hoc, & reliquo, quod executuri sumus, argumento versabimur, ut semper rationes Imperii a rationibus juris diligenter distinguamus, nec tam quaeramus, quid profit, quam quid liceat, si quis jure suo uti velit. Sunt, qui estimant, ejusmodi esse Principum in Ditionibus suis potestatem, ut quicunque in iis sunt,

sunt, eorundem subditi intelligantur, idque eo etiam usque, ut ipsi Reges, quum in alterius Imperio morantur, jura Principum amisisse credantur, habeanturque ut alia privata ejus Imperii membra, atque adeo vivant eorum locorum, in quibus agunt, legibus moribusque. Neque, ajunt, hoc fieri potest aliter, quum ea sit tacita & necessaria in alicujus ditionem veniundi conditio. Ipsum Imperatorem in alterius Imperio esse *tanquam privatum*, etiam testibus advocatis, dixit Arthurus Duck de *usu & author.* *Jur. Civ. L. II. C. 5. n. 9.* & Principes in alterius territorio forum sortiri, sicut quo libet privatos, additis quoque auctoritatibus, scripsit Mollerus *Semest. L. IV. C. 20. n. 2.* nec fere alia sententia utitur Robertus Zoucheus *Jur. Fe-
cial inter Gent. Part. II. Sect. 2. q. 6.* duo triave exempla adferens Principum, qui in alieno Imperio damnati sunt. Sed vero, cur Princeps in alterius Imperio, quod ad suum Principatum, jura, quae Majestatis vocantur, exercere non pos-
sit, minime animadverto, & omnino fal-
luntur, sive rationem, sive consensum Gentium exploremus, qui eo etiam usque Principis, alieno territorio morantis, auctoritatem demittunt. Quod ad Imperium ejus, in quo moratur, jura Maje-
statis

statis Principem exercere non posse, res est liquida: quumque jurisdictio ad Jura Majestatis pertineat, jure merito aegre acceptum est in Francia, quod Christina, Succiæ Regina, anno 1657. ibi hominem quemdam suum, quod secreta ejus eliminarat, jussit interimi. Posse tamen Principem in Imperio non suo quaedam exercere, & quae illa sint, commodum explicat Zoucheus *Part. II. Seçt. 2. Q. 9.*

Caeterum ego ne quidem de privato ausim adfirmare, quod illi, quos dixi, tam prolike largiuntur de Principe, qui alterius Imperium subivit. Quid enim, an privatus, qui nec civis nec incola est, sed fortuito moratur in alia Ditione, ex eo, tanquam subditus, mox forum sortietur? si quis peregrinus secesserit in Hollandiam, & hanc transiens, ut vel amicos invisat, vel res suas cum Mercatoribus componat, vel ut multorum hominum mores videat & urbes, in singulis urbibus jus dicenti parebit? non puto, quia advena est, non subditus. Verissima & aequissima est Pauli disputatio in *I. 19. §. 2. ff. de Judic.* *Nunquid dicimus, inquit, eum qui a mercatore quid comparavit advena, vel ei vendidit, quem scit inde confessim prefecturum, non oportet ibi bona possideret, sed domicilium sequi ejus?* at si quis ab

ab eo, qui tabernam vel officinam certo loci
conduciam habuit, in ea causa est, ut illic
conveniatur? quod magis habet rationem.
Nam ubi sic venit, ut confessim discedat, quasi
a viatore emptis, vel eo qui transvehebatur,
vel eo qui παρεγπλει, id est, praeter navigat,
emit; durissimum est, quotquot locis quis na-
vigans, vel iter faciens, delatus est, tot lo-
cis se defendi. Idque Jure Romano placuit,
quo etiam forum competens est ex loco
contractus, secus atque hodie ubique fere
Gentium. Aliud est, si quis domicilium
transferat, atque ita subditi conditionem,
quam alibi habuit, exuat: nam apud
omnes populos, Chinenses, Moschos &
Anglos si excipias, semper fuit, & ad-
huc est liberum, subditi conditionem
exuere, in camque sententiam prolixe
Ordines Generales contra Anglos disputant
in Decreto anni 1688. 13. Mart. quod est
in *de Holl. Mercur.* 1688. p. 188. 189. &
190. & recte disputant, etiam consentien-
te Grotio *de J. B. & P. L. II. C. 5. n.*
24. nec quemquam novi, qui contradicat,
nisi Ant. Matthaeum *de Crimin. ad L.*
XLVIII. ff. T. II. C. 1. n. 9. illi nempe in
mentem venit adfirmare semper aliquem,
quantumvis decesserit, manere subditum,
frustra huc advocata, quam non intellexit,
I. 29. ff. ad Municip. Ubi igitur non est
lex

lex specialis, quae id vetet, licet subditi conditionem mutare, mutato ex animi sententia domicilio, sed ubi mutatum non est, ut peregrinantes, etiam privati, mutare non solent, ex brevi commoratione non nascetur forum competens. Excipio delicti causam, nam & Jure Romano, quamvis Praeses in suae Provinciae homines tantum imperium habuit, habebat tamen & adversus extraneos, si quid manu commisissent *l. 3. ff. de Offic. Praefid.* neque aliter moribus Gentium, qui nunc sunt, ubi quis deliquit, ibi judicatur, utique si, ubi deliquit, fuerit apprehensus, quod legibus quibusdam additur, sed ea est hujus argumenti magnitudo, ut de eo silere praestet, quam parum dicere. Excipio denique causam arresti, nam peregrinum nunc, ubicunque moratur, detineri posse, & ex illa detentione forum esse competens, nemo negaverit.

Nunc proprius agamus de Principe, qui liber & sui juris, in alterius tamen Imperium secedit, sive ut res suas ipse agat, quae aliquoquin per legatos solent explicari, quod ad foedera, commercia, & id genus alia, sive ut litem obortam ipse transactione componat, sive ut discat ex rationibus alieni Imperii, quod ad suum transferat, sive solius animi & oblectationis

gratia. Quacunque autem causa secesserit, nemo dicet, eo animo secessisse, ut alterius Imperio se submittat, utque fiat subditus, translato domicilio. Advena est, ut quicunque privatus, & quemadmodum hic non tantum non subjicitur muneribus loci, quo de agitur, personalibus vel patrimonialibus, sed nec foro, ita nec Principem subjici res est oppido manifesta. At vero exceptiones, quae in privato obtinent, an & in Principe obtineant, ambiguae magis, & arduae inspectionis est. Fac, Principem homicidia & rapinas perpetrare, irruere in quosvis homines, non suos tantum, sed & ejus Imperii, in quo moratur, fac, eum hostile quid moliri in Principem, hospitem suum, an dicemus, quia deliquit, detineri & judicari posse a Principe, cuius Majestatem laesit? Et rursus, fac, Principem, ubi est, grande aes alienum contraxisse, fac, ex antiqua causa plurimum aeris alieni debere subditis ejus, apud quem moratur, vel etiam aliis extra subditos, an dicemus, arresto posse detineri, & inde foro subjici, & ad solutionem cogi? subsisto. Pendet ea quaestio, ut omnis alia inter diversos Principes, ^a Jure Gentium. Id quale sit & unde sit, quibus regulis contineatur, & quas distinctiones patiatur, integris Libris pertractata-

tum

tum est. Non erraverit, qui veteres Juris Auctores secutus id esse dixerit, quod ratione praeēunte inter Gentes servatur, si non inter omnes, inter plerasque certe & moratiiores. Duo igitur ejus quasi fulcra sunt, ratio & usus. Id ipsum mihi descriptissime videtur Seneca *Epist. 120.* *Nobis,* inquit, *videtur observatio collegisse, & rerum saepe factarum inter se collatio, per analogiam nostro intellectu & honestum & bonum judicante.* Et ea ratione a Jure Naturæ distinxisse videtur, quod non usui adscribit *Epist. 121.* nam postquam instinctum naturalem, qui in animalibus est, exposuisset, mox addit: *ex quo apparet, non usu ad hoc pervenire, sed naturali amore salutis suae.* Quicquid autem, & quam varie, & quam anxie de Jure Gentium disputetur, eo semper causa recidit, ut quod ratio dictavit Gentibus, quodque illae rerum saepe factarum collatione inter se observant, unicum jus sit eorum, qui alio jure non reguntur. Si omnes homines homines sint, id est, ratione utantur, haud fieri potest aliter, quin ratio iis quaedam suadeat & imperet, quæ mutuo quasi consensu servanda sunt, & quae deinde in usum conversa Gentes inter se obligant, & sine quo Jure nec bellum, nec pax, nec foedera, nec legationes, nec commercia intelliguntur.

Secundum hacc si quaeramus, an Princeps, qui in alterius Imperio deliquit vel contraxit, ibi puniri possit, & an detineri ob aes alienum, ad rationem primum, deinde ad usum recurrendum erit. Solam rationem si in consilium adhibeamus, multa in utramque partem dici possunt. Quid enim si Princeps in aliena Ditione Principem exuat, latronem & homicidam induat, si res novas moliatur, factiones concitet, & perduellem agat, nunquid id ei impune erit? rursus, si cives pecuniis emungat, grandi aere alieno conflato, an sic abibit, spolia haec opima domum referens? difficile dictu est. Nec tamen desunt, quae, consulta ratione, contra disputes. Si enim legati, qui Principem repraesentant, nec in contractibus, nec in delictis foro subjiciantur ejus apud quem legatione funguntur, ut plena fide deinde ostendam, an in Principe contra statuemus? an quod ratio & omnium Gentium consensio in legatis recepit, quia Principem repraesentant, & ejus mandata explicant, non recipiemus in Principe, qui ipse adest, & res suas forte per se agit? an ejus sanctitas non est major sanctitate legatorum? an hunc igitur, injecta manu, in jus rapiemus, ut causam dicat? vel an ideo in Principe licebit, quod in lega-

to non licet, quod legatus habeat, quem
repraesentat, & ad quem domum revo-
cet, ipse Princeps non habeat? ea forte
ratione, qua Christinae in Suecia Mis-
sam celebrare permisum non fuit, quam-
quam omnibus legatis permitteretur, ut
refert Aitzema L. XLVII. p. 406. & 407.
etiam hoc difficile dictu est. Si de usu quae-
ramus ex secundo præcepto Juris Gentium,
adhuc incertiores erimus, quam dudum.
Quin fere eo deveniendum est, ut negan-
dum videatur, hanc rem Jure Gentium
definitam esse, vel definiri posse, ut enim
Jus Civile praeterit, quae accidunt *en πα-
εγλόγες*, vel *τὰ ἀπαξὴν διს*, ut JCti loquun-
tur in l. 3. & 6. ff. de LL. sic vel maxime
Jus Gentium ea non finivit, quia id se
tuetur exemplis, & comparatione rerum,
a diversis Gentibus saepe eodem modo
judicatarum. Non adeo frequentes sunt
ipsorum, qui imperant, Principum in a-
lienis Imperiis peregrinationes, minus
frequentia crimina vel debita, quae huic
disputationi causam praebere possint, &,
quicquid sit, ob personae sanctitatem, eo
semper temperamento utimur, ne ob mi-
nima quaeque magnum exemplum statua-
mus.

Cum autem, ut dixi, rarissime illae
species incident, & si quandoque incide-

rint, & illa Gens, ubi quæstio disceptatur, censuerit, Principem, ubi deliquit vel contraxit, detineri posse, vel non posse, nemo, credo, dicet, ex eo statim Jus Gentium esse intelligendum. Zoucheus de *Jure Fecial. inter Gent. Part. II. Sect. 2. Q. 6.* duo habet exempla Principum, qui, ut ipse putat, in alieno Imperio damnati sunt, & tertium habet in *Notis*, sed dubito, an bene haec convenient huic disputationi, verum id largiamur, nam singula excutere longioris operae esset, nec tamen continuo inde efficiamus, ita placuisse omnibus, vel plerisque Gentibus, ex quo solo censetur Jus Gentium. Carolus Emanuel, Sabaudiae Dux, postquam factiones tacitas aluiisset in Francia, ipse ad Henricum IV. advenit, praetexta honoris & salutationis causa, sed revera, ut praesens aptius velificaretur consilio suo. Rex Franciae, re detecta, Carolum Emanuelem dimisit impunitum, non ex sententia Consilii sui, sed ex sua, quam Iuri Gentium magis aptam putabat. Nec Franciscus I. Carolum V. per Franciam transeuntem, detinuit & coëgit Ducatum Milanensem reddere, quem se redditurum saepe promiserat, ut ut essent, qui ut detineret & cogeret, auctores erant. Et Regina Sueciae, cum, ut supra inuebam,

Anno

DE FORO LEGATORUM CAP. III. 21

Anno 1657. Marchionem Monaldeschium occidisset in Francia , sic se tuita est : Reginam se esse , nemini se , etiam in Francia , nisi Deo subditam , neque enim captivam esse , & in homines suos supremum Imperium habere , ut est apud Aitzema L. XXXVII. p. m. 1064. quod factum Galli , quamvis indignabundi , impune transmiserunt , ex impotentia muliebri , dicet alter , alter vero , ex Jure Gentium , ut optimum maximumque est.

Nihil igitur in hoc argumento proficies rebus similiter a Gentibus judicatis , atque ita sola superest ratio , quam consulamus . Et hac consulta ego non ausim plus juris tribuere in Principem non subditum , quam in legatum non subditum , quamvis plus tribuerint , qui pro Elisabetha , Angliae Reginna , contra Mariam , Scotiac Reginam , disputant apud Camdenum *Annal. Engl. ad annum 1586. p. m. 443.* propter necessitatem scilicet legationis . Sed inde major non est sanctitas mandatario , quam mandanti , si res suas ipse velit agere . Quare ut extremum est in legato , ut jubeatur Imperio excedere , sic & in Principe statuerem , si jus hospitii violet . Sed nec sine cautionibus ea res transigenda est . Quid si enim more latronis in vitam , in bona , in pudicitiam cuiusque irruat , nec secus atque hostis

22 III.C. VAN BYNKERSHOEK 71
capta grassetur in urbe. Poterit utique detineri, forte & occidi, quamvis perturbam malim, quam constituto judicio. Etiam in Imperio simpliciter delato, hanc potestatem, in ea specie, ipsis subditis aduersus Principem tribunt, qui alioquin Principum causae iniquiores non sunt, ut scilicet insurgere liceat in tyrannum, qui Principis perlonam deposituit. Sic Huberus de Jure Civit. L. I. Sect. 3. C. 4. pr. sic alii. Si Princeps in alieno Imperio manu rem agat, vel per se, vel per comites, quin manu repellri possit, non puto dubitandum. Si vero quid machinetur aduersus Principem hospitem, ejusve Imperium, si aliud commune delictum perpetret, satis, puto, fiet rationi & Juri Gentium, si quod hic Jus Gentium est, si jubeatur finibus Imperii excedere, nec amplius turbare Rempublicam nostram. In causa aeris alieni idem dixerim, nam arresto detinere Principem, ut aes alienum expungat, quamvis forte stricti juris ratio permitteret, non permittit tamen analogia ejus juris, quod de legatis ubique Gentium receptum est. Si neges, ubi de Jure Gentium agitur, ex analogia disputari posse, ego negaverim, hanc quaestionem ex Jure Gentium expediri posse, cum exempla deficiant, quibus consensus Gen-

Gentium probetur , nec quicquam adeo supersit , quam ut ad legatorum exemplum ipsos Reges & Principes , & quidem magis , ab arresto dicamus immunes , & in eo a caeteris privatis differre. Audio equidem Curiam Hollandiae Anno 1693. ob aes alienum , in Hollandia arresto detinuisse Ducem Meklemburgensem , Principem sui juris , sed , si vel verissimum id esset , quamvis sit , cur dubitem , ob ea , quae dixi , inde non licet efficerre Jus Gentium.

C A P. I V.

Principis bona in alterius Imperio , an per arrestum forum tribuant.

Dixi de Principibus , nunc de ejus bonis dicamus ; & ut dicamus , necesse est , quia non modo corporis , sed & bonorum ratione subjicimur potestati ejus judicis , ubi bona nostra sunt , & quia subjicimur , ibi conveniri possumus , arresto inclusis iis bonis . In causa civili cum id inter privatos obtineat , ubicunque arresta frequentantur , ego nullus animadverti , cur non idem obtinere oporteat quod ad bona externorum Principum . Si

ab arresto Principis temperemus ob sanctitatem personae , quis bona Principis in alieno Imperio aequa sancta esse dixerit? usu Gentium invaluit , ut bona, quae Princeps in alterius Ditione sibi comparavit , sive haereditatis , vel quo alio titulo acquisivit , perinde habeantur , ac bona privatorum , nec minus , quam haec , subjiciantur oneribus & tributis. Quia subdita sunt bona , subditorum conditio nem sequuntur in omnibus & per omnia. Sin ajas , Imperatoris Romani equos & canes , & si quid his minus est , olim etiam sanctos audivisse , & ea ratione velis contradicere , risum dabis & jocos , nec ut serio respondeatur , impetrabis. Ne dicam , vel illam sanctitatem , quae tantopere praedicitur de legatis , mihi causam esse non videri , cur eximantur foro ejus , apud quem degunt , sed aliam & longe diversam , quam Capite proximo exponam.

Quod ab bona externorum Principum non una tamen omnium sententia est. Ego adsentior Hilligero ad Donell. L. XVII. C. 17. lit. A. cum ait: *Ratione rei etiam si, qui possidet, honore superior sit, inferioris jurisdictionem subit, eoque respectu subditum quem tradunt, et si Regia dignitate emineat. Subditum vocat ratione fori, & executio- nis, quam Judex forte decrevit in rem si- bi*

bi subiectam, sive mobilem, sive immobilem, sive pecuniam, ex quacunque tandem causa debeatur; utique, si me lequareis, sic ea interpretor. Et tamen Huberus *Prælect. ad Tit. ff. de in jus voc. Loco, de Arresto reali n. I.* ita censet, atque si ea, quæ Principibus exteris debentur ex publica conventione, non recipient arresta, laudans cum ibi, tum *de Jure Civit. L. III. Sect. 2. C. 2. n. 21.* Curiae Frisicae sententiam, qua 1681. 7. Nov. judicavit, pecuniam apud Quaestorem Frisiae, Imperatori Germanico debitam, pro obligatione, qua Imperator aliis ad aliquot Imperialium millia tenebatur, arresto includi non potuisse, quia, ait *d. n. I.* legitima ejus denunciatio fieri non poterat. Sane illam rationem nullius esse momenti palam est, cur enim denunciatio fieri non poterat ex clausula Edicti, transmissis, ut solet, eam in rem literis. Et an nemo Imperatoris mandatarius eam pecuniam a Quaestore Frisico erat exacturus? & si esset, cur non ei recte denunciari posset? Magis probo, quod ipse deinde *d. n. 21.* eam sententiam improbet, & magis *politicanam*, quam *juridicam* appellat, additis rationibus, quas ibi, si commodum est, leges. Quid liceat, non quid utile sit & expediat, ad

ius dicentis officium pertinet. In consilio Principis de utilitate Imperii cum maxime deliberatur, in Tribunalibus judicium, quid legibus constitutum sit, decernitur, nec timetur vultus instantis tyranni. Saepe cum injuria subditorum Ordines decreverunt, quod e re publica esse videretur. Quo refero hanc speciem: Anno 1668. privati quidam Regis Hispanici creditores tres ejus Regni naves bellicas, quae portum Flissingensem subiverant, arresto detinuerant, ut inde ipsis satisficeret, Rege Hispan. ad certum diem per epistulam in jus vocato ad Judices Flissingeses, sed ad legati Hispanici expostulationes Ordines Generales 12. Dec. 1668. decreverunt, Zelandiae Ordines curare vellent, naves illae continuo dimitterentur liberae, admoneretur tamen per literas Hispaniae Regina, ipsa curare vellet, ut illis creditoribus, in causa justissima, satisficeret, ne repressalias, quas imploraverant, largiri tenerentur. Vide Aitzema L. XLVIII. p. m. 1033--1027. Non quidem metui, sed unice commiserationi tribuendum est, quod Anno 1654. creditores Comitis Palatinæ, quae hic vulgo Bohemiae Regina audiebat, ut ejus bona arresto includere liceret, ab Ordinibus & Curia Hollandiae obtinere non potuerint,

rint, quemadmodum auctor est ipse ille
Aitzema L. XXXIV. p. m. 76.

Sic solent Principes, cum Reipublicae interest, alios Principes non offendи, vel cum commiserationis ex inopia, vel qua alia ratio movet, sed id ex officio humanitatis potius, quam ex Edicto Praetoris, seu potius ex Jure Gentium aestimandum est; nam si ex eo rem putemus, sepositis rationibus Imperii, nihil est, quod arrestum & jurisdictionem impediat. Idque ipsi illi Ordines Generales significarunt Anno 1628. cum enim Elector Brandenburgicus non satisfaceret creditori cuidam suo, qui ea de read Ordines Generales con questus erat, illi mense Decembri ejusdem anni decreverunt, creditor arresto include ret, quae Elector sub Senatu Brabantino & Flandrico habebat, & coram his cum eo litigaret, ut narrat Aitzema L. VIII. p. m. 672. & 673. & litigatum deinde est coram Senatu Flandrico, de quo Elector per legatos Anno 1631. apud Ordines Generales expostulavit, ut habeat ipse ille Aitzema L. XI. p. m. 445. Etiam merca tor Amsterdammensis anno 1670. Am sterdami arresto detinuit pecuniam, quae Reipublicae Venetae debebatur, indignante quidem plurimum Republica, sed relaxationem pecuniae non obtinente, nisi per

per transactionem , cuius meminit Decretum Ordinum Hollandiae 3. Dec. 1670. Rursus Anno 1689. creditor quidam Ducis Meklemburgensis ejus bona in Hollandia arresto Curiae inclusit , de quo ipse , atque si jus Gentium laesum esset , prolixe quidem quiritatus est ad Ordines Generales , sed relaxatum esse ad ejus preces non comperi . Simpliciter ea de re cum ipsa Curia deliberari jusserunt Ordines Hollandiae Decreto 19. Oct. 1689. utrumque , quod dixi , Decretum reperies inter inedita Ordinum Hollandiae Decreta ad eos annos . Possum plurima exempla addere , quae vel mea memoria inciderunt . Jacobus , Dux Courlandiae , multa millia debebat Mercatori Amsterdammensi ex laudo & spontanea condemnatione Senatus Supremi . Quum non solveret , & ejus haereses , Principes Courlandiae , in Hollandia & Zelandia haberent naves & merces , Senatus Supremus Anno 1696. & saepe deinceps , eas arresto detinuit , inserta Mandato clausula Edicti , & constituto etiam Curatore , qui Principes defenderet . Ipse Senator quibusdam ex his causis judicandis interfui , nam maxima pars debiti adhuc exsoluta non est . Quin paucis abhinc annis Rex Borussiae , qui nunc rerum potitur , ex Mandato Curiae in jus voca-

vocatus est cum clausula Edicti, arresto inclusa parte haereditatis Wilelmi III. de qua pluribus litibus actum est, & nondum transactum. Offendebat Regem non tam in jus vocatio, quam clausula Edicti, per campanam, ut fit, populo significata, & forte ea carere possumus, ubi Princeps legatum habet, qui velit recipere literas. Litigavit tamen Rex Borussiae apud Curiam aliquamdiu, & cum in causa quadam 15. Jul. 1716. victus esset, appellat ad Senatum Supremum, & litem ibi contestatur. Sed cum revocato mandato litem nollet persequi, nec appellationi renunciare, haeres Wilelmi III. solus per advocationem causam oravit, sed 18. Jul. 1719. victus est qui vicerat, defensus ab indefenso. Scio & in Geldria, & alibi, Principes externos, interposito arresto, in jus vocari, & adeo ea res in mores transivit, ut, tanquam de re liquida, nunc equidem inter omnes videatur constare. Cavendum autem est, ne res ad injuriam vergat, nec quod inter privatos sumnum jus est, ex inquis forte Pragmaticorum Decretis, id summa injuria ad Principes porrigitamus. Ajunt illi, vel rem minimam, arresto detentam, sufficere ad subjectionem fori. Largiamur inter privatos, sic enim obtinuit, sed an ita Principis equus, per alterius

ritus Ditionem transiens, poterit includi;
ut causam præbeat foro? si me auctorem
sequaris, non poterit, nec quicquam ma-
gis erit contra præsumtam, si non testa-
tam mentem Gentium.

C A P. V.

*De Sanctitate Legatorum, & an
haec, an quid aliud praestet pri-
vilegium fori.*

Qui de legatis & legationibus scripse-
runt, in eo prolixè versati sunt, ut
ex omni antiquitate, Graeca & Roma-
na, legatos sanctos esse & inviolabiles
ostenderint, & quo quis eruditior fuit, eo
plures auctoritates attulit ad rem, quam
nemo negat, probandam. Si Benedicta
in hanc rem referam, vetera, nova, si
exscribam, quae toties totiesque exscripta
sunt, si addam, quae ipse addere possem,
si recenseam, quam varie apud varias
Gentes, etiam barbaras, animadversum
sit in eos, qui spreto Jure Gentium, in
legatos irruerunt, si commemorem, quo
opprobrio fuerit Principibus, legatos car-
cere, vinculis, & morte multasse, &
quam ea res non unius belli causa fuerit,
spissior mihi libellus nasceretur, quam
nunc

nunc scribere constitui. Ad satietatem sufficere possunt, quae in hanc rem con- gesserunt Jacobus Cujacius *L. XI. Observ.* s. Albericus Gentilis *de Legationibus L. II.* C. 1. & 14. Hugo Grotius, princeps Ju- ris Publici Magister, *de Jure B. & P. L. II. C. 18. §. 1. & 6.* & in *not.* ad- que eum locum tantum non omnes Grotii Interpretes. Carolus Paschalius in *Legato C. 22. 23. 24. 25. & 26.* Fredericus de Marselaer in *Legato L. II. Dissert. 13.* Jean Hotman en son *Traité de l' Ambassadeur C. 4.* Christophorus Varsevicius *dé Legato & le- gatione p.m. 44. 68. & 69.* Hermanus Kirchnerus in *Legato L. II. C. 1. n. 28. & seqq.* Abrahamus Wicquefort en son *Ambassa- deur L. I. C. 27. & 28.* & dans ses Mé- moires touchant les *Ambassadeurs, variis lo- cis.* Christophorus Besoldus in *Disserta- tione de Legatis, eorumque jure C. 5. §. 9. & seqq.* Henricus Coccejus in *Dissertatione de Legato sancto, non impuni C. I.* Fran- ciscus Albertus Pelzhoffer in *Arcan. Stat. L. IV. C. 2. n. 8.* aliique quam plurimi, nam vix quicquam est, qui non in locum hunc communem excurrit, si de legatis ser- mo incidat. Idque adeo inter omnes per- aeque Gentes obtinet, ut *legatorum non violandorum religionem nominatim ad jus Gentium retulerit C. 11. Distinct. I.* Plus scire

scire attinet, qua ratione legati apud omnes, ut dixi, Gentes habeantur *sanc*ti**. Et, si sanctum id sit, quod ab *injuria hominum defensum atque munitum est*, ut esse dicit Marcianus in l. 8. pr. ff. de Rer. divis. utque ex proprietate verbi deducit Festus in V. *San*ctum**, dicendum videatur, sanctitatem id legatis praestare, ne dicto factove offendere liceat, quia imaginem Principis sui ubique circumferunt; quia pacis & foederum nuncii sunt & proxenetae, & sine his Gentium societas & beata quies salva esse nequit. At, inquies, nec alium quemvis licet offendere dicto factove, nam praesto sunt leges; quae etiam privatorum corpora, bona, & famam defendunt; quid igitur est praecipuum in legatis? hoc videlicet, ut in eos, qui legatos male habent, severius animadvertisatur, utque ita ob personarum sanctitatem poena atrocior statuatur; quam solet statui in eos, qui privatum quemcunque laesissent. Pomponius certe in l. ult. ff. de Legation. contra jus Gentium committi existimat, si quis legatum hostium pulsasset, quia sanctus habetur, & ex sententia Mucii addit, qui pulsaverit, hostibus dedendum esse, quorum erant legati. Exemplum ejus poenae exercitiae mox adfert, & plura alia exstant in

DE FORO LEGATORUM CAP. V. 33

Annalibus Romanorum. Extraordinarium est id poenae genus, & ea forte ratione placuit, quia, ut mox dicam, finguntur legati quasi extra territorium ejus, ad quem legati sunt, & adhuc subditi ejus Principis, qui misit, cujusque adeo Majestas in legato laesa dici posset. Est etiam singulare, quod mox in Legem Julianam de vi publica incidat, qui vel injuriam fecisse arguetur legatis, eorumve comitibus l. 7. ff. ad L. Jul. de vi publ. Atque ita sanctitatem legatorum interpretantur Ordines Hollandiae in Edicto 29. Mart. 1651. nam postquam illam sanctitatem, etiam apud Barbaros receptam, prolixè praedicassent, inde efficiunt, & continuo fanciunt, ne quis quacunque ratione legatos, eorumve comites, aedes, rhedas pensiles, aliave, ad legatum pertinentia, laedere seu violare velit, sin autem, habetur pro turbatore Juris Gentium, & quietis publicae, &, qua talis, corpore poenas luat. Extraordinaria, ut vides, violati legati poena, sed & antea semper extraordinaria fuit. Quum 14. Apr. 1647. legati, Imperatoris Muscoviae, aedes vespere lapidibus essent impetitae, & vitra excussa, Curia Hollandiae 1647. 20. Apr. (Placat. II. Append. Fol. 2387. & seqq. vide & Aitzema L. XXVII. p. m. 400.)

Edictum proposuit, quo, si quis denuo noctu sive interdiu ejus legati aedibus vim fecisset, capitis bonorumque poenam statuit, arbitraria insuper decreta, qui clamando, aliave ratione, ejus hominis injuria affecisset. Adde Edictum Curiae Hollandiae 5. Sept. 1642. *Repert. Ord. Gener. p. 57.* & semper offendes severitatem legis adversus eos, qui quovis modo tranquillitatem legatorum turbaverint.

Habes, in quo vertatur, & quo solo, ut opinor, absolvatur sanctitas legatorum. Grotius *de Jure B. & P. L. II. C. 18. §. 4.* ex sacro sancto illo legationis jure etiam derivat privilegium fori, quod mox legatis adserit, & Grotium sequitur Wicquefort en ses *Memoires, touchant les Ambassadeurs & les Ministres publics p. m. 39.* dubito, an recte. Persona, quantumvis sancta, sola in jus vocatione non violatur. Divi Marci Rescripto, quod extat in l. 13. ff. *Quod met. caus. & l. 7. ff. ad L. Jul. de vi privat.* continetur, *vis est & tunc, quotiens quis id, quod deberi sibi putat, non per judicem reposcit.* Si ergo per judicem reposcat, nulla vis est. Sacerdotes, Virgines Vestales, Tribuni plebis apud Romanos sancti, & tamen in jus vocatores legimus. Pontificem quidem in jus voca-

vocare nefas, sed dum sacra faciebat, ut est in l. 2. ff. de in jus vocand. caetero- quin fas fuit, & jure optimo licuit. San- ctitas personae neminem exemit unquam jurisdictione Magistratus, cui subditus est is, de quo agitur.

Alia igitur quaerenda est ratio, quae legatis tribuat privilegium fori, & hanc reperies, si memineris, eam esse legato- rum conditionem, ut moribus constanter videatur receptum, legatum non esse ejus, ad quem missus est, subditum, sed manere ejus, qui misit, ideoque nullo ejus, apud quem legatione fungitur, judicio, sive de debito, sive de crimine agatur, censeri ob- noxiū. Ex Gentium consensu, cum expresso, tum tacito, deinde ostendam, ex eo, quod quis legationis causa abest, domicilium mutatum non videri. Unde & de legatis intelligo, quod ait §. 94. *For- mae*, quam Carolus Audax Anno 1462. 4. Sept. Curiae Hollandiae praescripsit, & §. 8. *Formae*, quam eidem Curiac dedit Carolus V. 20. Aug. 1531. memorantur enim in iis, praeter incolas & subditos, alii, qui morantur in Hollandia, nec sub- diti tamen sunt. Et Ordines Hollandiae Anno 1657. 22. Mart. certamine singula- ri non duntaxat suis subditis, sed &c cae- teris in Hollandia interdixerunt. Neque

enim ea de advenis intelligi videntur posse, utique non *d. §. §. 94.* & *8.* qui in eos non subditos soli Curiae largiuntur jurisdictionem, cum tamen non minus Urbium, quam Curiae sit jurisdictione in advenas, interveniente scilicet arresto, sine quo nec ipsa Curia de his cognoscit. Neque etiam de Romanae Ecclesiae Cardinalibus licet eos *§. §.* intelligere, quamvis enim hi, ubicunque terrarum, solius Papae censeantur subditi, in eos tamen non convenit Curiae jurisdictione, cum & haec solius Papae sit. Sed, inquies, nec in legatos convenit: sic est, si me audias, non vero, si ipsam Curiam, nam ecce in *§. 89.* & *90.* ejus *Formae*, quam Anno 1670. ipsa sibi composuit, quamque Hollandiæ Ordines nunquam probarunt, *p. 12.* sibi jurisdictionem esse dicit in externalium Principum legatos, eorumque homines, in iis nempe causis, in quibus locum non habet fori privilegium. Quae illae causae sint, non exponit, nec in eo eodem semper jure usa est, ut deinceps audiens, sufficit nunc scire, Curiam, quod de legatis dicit, dicere videri ad interpretationem *d. §. 8.* *Formae judicandi*, quae etiamnum utitur. Posset & *d. §. §.* intelligere non de quacunque actione, adversus legatos exercenda, sed de interdictis, ad

DE FORO LEGATORUM CAP. V. 37
ad prohibendam ἀναρχίαν, quae & adver-
sus legatos videntur competere, ut latius
dicam C. XVII. Et quid si nulla Curiae
in legatos esset jurisdictio, tamen adita
de privilegiis legatorum cognosceret, nec
quicquam ajunt d. §§. 94. & 8. quam Cu-
riam de privilegiis subditorum, & peregrini-
orum, qui subditi non sunt, esse cognitu-
ram. Forte & ut arceant a legatis vim &
injuriam, ut saepe Edictis propositis arcue-
runt, vel ut puniant, ut severissime ali-
quando punierunt, qui legatorum perso-
nas, homines, aedes, res, quocunque modo
sunt aggressi. Utque ita nec ex d. §§. 94.
& 8. praejudicium haberi possit contra im-
munitatem a foro communi, si vel eos
de legatis intelligas, ut ipse intelligo.

C A P. VI.

*De Foro competenti legatorum quid
Jure Romano cautum sit, & de
quibus legatis id sit intelligendum.*

Quamvis non de Populi Romani, sed
de Gentium jurisprudentia agamus,
non abs re tamen erit de Jure Romano
quaedam praemonuisse, cum qui id audit,
vocem fere omnium Gentium videatur
audire, cumque etiam id jus, quod cer-
ta ratione in quibusdam legatis constitu-

tum est, ad omnes alios imprudentia quo-
rumdam traduxerit. De causa civili pri-
mum, post de criminali videbimus. Ul-
pianus in l. 2. §. 3. ff. de *Jud.* recenset, qui
jus revocandi domum habeant, interque
hos, legatos *in eo quod ante legationem con-*
traxerunt. In omnibus, qui domum re-
vocare possunt, ea communis ratio est, ab
Ulpiano mox addita, ne qui ob aliam
causam veniunt, ob aliam cogantur ju-
dicum suscipere. Est & alia peculiaris
ratio in legatis, quæ passim pellucet, ubi
species excutiuntur ejus argumenti, ne ab
officio suscepto legationis avocentur l. 24. §.
2. in fin. de Judic. vel, quod tantundem
est, ne impediatur *legatio l. 26. ff. Eod.*
vel, quod rursus eodem redit, ne prohi-
beantur publico munere fungi l. 27. ff. Eod.
Verissima privilegii ratio, sed quae aequa
militat in eo, quod legati tempore lega-
tionis contraxerunt, nam & ob eam rem
conventi avocantur ab officio legationis.
Et tamen ἐξ ἀντιδιασολῆς subjicit Ulpia-
nus in §. 4. d. l. 2. Omnes autem isti dor-
mum revocant, si non ibi contraxerunt, ubi
conveniuntur; caeterum si contraxerunt ibi,
revocandi jus non habent. [Etiam si scilicet
ibi contraxerint, priusquam Romae ne-
gotii sui causa haererent, quod apertum
est ex ea, quae de legatis additur, ex-
ceptio-

ceptione, qui, inquit, licet ibi contraxerunt, dummodo ante legationem contraxerunt, non compelluntur se Romae defendere, quamdiu legationis causa hic demorantur. Quod & Julianus scribit, & D. Pius rescripsit. Utque adeo, quod ad id, adhuc luculentius sit legatorum privilegium, a Paulo etiam expositum & probatum in l. 32. §. 9. ff. de Recept. arbitr. Et tamen hi eodem, quo alii, jure utuntur in iis, quae tempore ipsius legationis, adhuc durantis, contraxerunt. Ita videlicet Juris Romani auctoribus visum est, magnam quidem esse rationem, quae pro legatis facit, in iis, quae ante legationem acta gesta sunt, sed majorem & fortioriem, quae iis opponi posset, dum legati, ubi sunt, contrahunt. Hanc rationem eleganter expedivit Julianus in l. 25. ff. de Judic. Si, ait, legationis tempore quis servum, vel aliam rem emerit, aut ex alia causa possidere cooperit, non inique cogetur ejus nomine judicium accipere: ALITER ENIM POTESTAS DABITUR LEGATIS SUB HAC SPECIE RES ALIENAS DOMUM AUFERENDI. Haec vera & una ratio est, ne sub specie legationis occasio praebeatur delinquendi, nam quam alii adferunt, ita nempe placuisse in ipsorum legatorum gratiam, ut in ipsa legatione haberent,

berent, quibuscum, ad se & homines suos alendos, contrahere possent, est oppido satis inepta.

Sed & alia Jure Romano, in civili causa, ad legatos pertinent. Postquam Ulpianus in d. l. 2. §. 4. ff. de *Judic.* exposisset, in quibus negotiis domum revocare liceret, & quam magis id in legatis obtineret, pergit §. 5. Item si extra Provinciam contraxerunt, licet non in Italia, quaestio[n]is est, an Romae conveniri possint? Et Marcellus, in eo solo, privilegio eos uti domum revocandi, quod in Civitate sua, vel certe intra Provinciam contraxerunt, quod est verum. Cujacius *Comment.* postum. ad d. l. 2. hunc §. 5. intelligit de omnibus aliis, qui domum revocant, praeter legatos, nam hos etiam revocare, si vel ante legationem Romae contraxerint, & id probo, ne evertatur exceptio, quae praecessit. Similiter probo, quod sequentem sententiam, sed & si agant, compelluntur se adversus omnes defendere, ad legatos non transferat, quamvis videam plurimos Interpretes, & ipsos quoque Basilicos, haec omnia de solis legatis exaudire. perperam. In aliis omnibus, qui domum revocant, verum est, si ipsi agant, cogere etiam exciperē actiones, ut est in l. 22. ff. Eod. sed in legatis verum non est, quia Romana ac qui-

quitas non permisit, ibi quem agere posse, ubi conveniri non potest, maxime si eadem ratio, ob quam conveniri nequit, etiam agenti obstaret. Non potuit igitur legatus, ne impediatur legatio, vel alienis, vel propriis negotiis se interponere, nec quicquam in rem suam agere, antequam legationis officio functus sit, nisi tamen suam suorumve injuriam persequatur *l. 8. §. ult. l. 9. l. 10. l. 11. & l. 15. ff. de Legation.* Quod moribus quidem Gentium non convenit, sed rationem habet summa, ideoque ipse non dubitem adfirmare, cum legatus hodie ubicunque Gentium agere & experiri possit adversus quoscunque, oportere etiam eum quorumcunque mutuas actiones excipere, si ipsi agant prius, ut forte latius suo loco dicam. Summa quoque rationem habet, quod suum suorumque damnum & injuriam legatis licitum sit persequi, id enim & aliis omnibus, qui revocandi domum jus habent, licet, etiam sine metu mutuae petitionis, quam hodie *reconventionem* dicimus, & ideo licet sine metu, quia, ut eleganter ex Juliano subjicitur in *d. l. 2. §. 5. ff. de Judic.* aut impune contumeliis & damnis adficiuntur, aut erit in potestate cuiusque, pulsando eos, subjecere eos jurisdictioni, dum se vindicant.

Quaesitum est & Jure Romano, an in rem actio adversus legatum exerceri possit, quoniam ex praesenti possessione haec actio est? Paulus hanc speciem tractat in l. 24. §. 2. ff. de Judic. & Cassius apud eum respondet, sic servandum, ut, si subducatur ministerium ei, non sit concedenda actio: si vero ex multis servis de uno agatur, non sit inhibenda. Fac, ex familia servorum unum vindicari, quo legatus commodum carere possit. Sed Juliano placuit, ^{sive} distinctione negandam actionem. Merito inquit Paulus, ideo enim non datur actio: ne ab officio suscepto legationis avocetur. Sententia Juliani placet, si de servis, aliisve agamus, quae ad legationem pertinent, & de quibus proxime egerat Cassius; an ratio Pauli aequa placere posset, nondum constitui. Si distinctionem Cassii sequamur, utique periculum est a figura Rethorices, nescio qua, Σωείτην, credo, appellant, & metus est, ne quid decori legationis decedat, neve minus expediri possint, quae per suos homines expedit legatus, & quae alia in hanc sententiam dici possent. Sed hoc, quod dixi, ex regulis Juris Romani, accipiendo est de possessione, quam legatus naectus est, antequam fungatur officio, nam si naectus fuerit in ipsa legatione, cogetur judicium acci-

accipere, ut Julianus subjicit in *l. 25. Eod.* unde & Basilici utramque legem uno themate clauserunt. Utile autem erit rem ipsam notasse, ubi de actionibus in rem, & detentione bonorum, ex usu Gentium, dicendum erit. Possem de causis civilibus alia addere ex Jurisprudentia Romana, sed ea magis pertinerent ad apices Juris, quam ad illustrandum argumentum, quod proprie est Juris Gentium.

De foro criminis paucis rem absolvit Paulus in *l. 24. §. I. ff. de Judic. Legati*, inquit, *ex delictis, in legatione commissis, coguntur judicium Romae pati, sive ipsi admiserint, sive servi eorum.* Nec legatum Provincialem accusare licet, ex sententia Venuleji in *l. 12. ff. de Accusat.* sed ejus duntaxat criminis, quod ante commiserit, quam in legationem venerit. Sane si ob ea, quae in legatione contraxerint, domum non revocent, multo minus revocabunt ob ea, quae deliquerint: nam ex delicto non minus obligamur, quam ex contractu, & omnem honorem reatus excludit, ut in causa non absimili Constantinus rescribit in *l. I. C. ubi Senat. vel Clariſſ.* Servatur tamen iis honos, & revocandi privilegium, si ante legationem deliquerint, ut ex Paulo colligimus, & ex Venulejo aperte constat. Quod de servis delinquentibus additur in *d.*

l. 24. §. 1. non nisi de noxali actione , quae
in legatum competit , intelligi oportere ,
res est liquida ex *l. 1. ff. de Noxal. action.*

Supereft, ut dicamus , de quibus lega-
tis intelligendum sit , quod Romani , in
causa fori , statuerunt , idque eo magis ne-
cessè est , ut amoliamur praejudicium ,
quod ex Jure Romano contra Jus Gen-
tium induxit quorumdam ignorantia . Le-
gati mittuntur vel a Principe sui juris ad
alium Principem sui juris , sive is foede-
ratus sit , sive hostis , vel a Provinciis &
Municipiis , hoc est , ab ipsis subditis ad
Principem , qui Provincias & Municipia
imperio suo complectitur . Si legamus
fragmenta veterum JCtorum , si Rescripta
Imperatorum , quae exstant sub utroque
Titulo Pand. & Cod. de Legationibus , mox
largiemur , quicquid ibi traditur , non esse
exaudiendum nisi de legatis Provincialibus
& Municipalibus , si unam forte *l. ult. ff. de*
Legation. excipias , quae est de legato ho-
stium . Alibi quoque , cum de legatis sermo
incidit , fere Provinciales & Municipales
intelliguntur , qui ad exsequenda mandata
Reipublicae suae , ad Principem Roma-
num mittebantur . Possem varia loca in
hanc rem adferre , si non plena fide con-
staret etiam tunc , cum de eorum foro
competente agitur , & quo solo nostra ab-
solvi-

solvitur disputatio. Apparet, quod dico,
 ex integro tractatu Ulpiani in *d. l. 2. §.
 3. 4. & 5. ff. de Judic.* ex *l. 8. & l. 9. Eod.*
 addita *l. 5. §. 1. ff. de Constit. pecun.* *l. 34. pr.*
ff. de Judic. *l. 35. §. 2. ff. de Jurejur.* Et Cu-
 jaci, & Mornacius ad *d. l. 2. §. 3. &*
 Grotius de *Jure B. & P. L. II. C. 18. §.*
10. in fin. & alii quam plurimi totiens id
 observarunt, ut mirer, eam rem non ob-
 servatam, fraudi fuisse quinque magni no-
 minis JCtis, qui Anno 1571. in Anglia,
 sententiam rogati, ex Jure Romano res-
 ponderunt de judicio Joannis Leslaei,
 Episcopi Rossensis, qui legatus erat Ma-
 riae, Reginae Scotiae, & in Anglia res
 novas moliebatur. Consultationem exhi-
 bet Camdenus *Annal. Engl. ad annum*
1571. p. m. 201. & seqq. Etiam alios incau-
 cautos decepit illud Juris Romani Decre-
 tum, ut plus semel monet Wicquefort
 en son Ambassadeur *L. I. Seet. 27. p. 817.*"
821. & seqq.

Quin & si, quod Romani dixerunt,
 palam & rotunde dixissent de legatis ex-
 ternarum Gentium, non inde continuo
 efficeretur Jus Gentium. Sic illi saperent,
 rationem suam secuti. Si aliter saperent
 aliae Gentes, aliam rationem secutae, ea-
 rumque consensus praevaleret, id esset
 Jus Gentium, ex quo de foro legatorum
 finienda

finienda esset quaestio. Sed satis animad-
vertis, quae Romani de legatis, qua sub-
ditis, caverunt, non statim esse porri-
gendum ad legatos, non subditos. Inter
utrosque fuit aliqua similitudo, & inde,
quod de illis praedicatur, saepe & de his
praedicari poterat, at non semper & ubi-
que. Quis ajat subditum unius ejusdem
que Principis tam prolixo revocare do-
mum posse, quam non subditum? quis
Princeps, cum ab eo sit omnis jurisdi-
ctio, legatum, sibi subditum, non pu-
niat, ubicunque deliquerit? & sic erat in
illis Romanorum legatis. In causa ci-
vili etiam prospectum, ne quod ad ea,
quae in ipsa legatione acta gesta erant, sub-
ditus subdito conditionem nimis gravem
& iniquam inferret, sed si haec transfe-
rus ad externarum Gentium legatos, non
subditos, & ubi ex tacito Gentium con-
sensu res agitur, omnino prolixo fallimur:
Provinciales illi & Municipales tantum
non erant procuratores & mandatarii, hoc
tamen iis, ad instar legatorum, qui vere
sic dicuntur, datum erat, ut quod ad ea,
quae ante legationem contraxerant, do-
mum revocare possent, sic ut legatio cre-
ditoribus nec noceret, nec prodesset. Alia
etiam Romani de legatis suis Provinciali-
bus dixerunt, quae frustra ad legatos ex-
ter-

ternarum Gentium transferas. De numero legatorum nemo ex Jure Gentium, aut usu, quaestionem exspectabit. Et ante Vespasianum Imperii quoque Romani Civitates, quot vellent, legatos videntur misisse; certe legationem Judaeorum ad Caligulam, cui & Philo Judaeus interfuit, quinque obivere, vid. Philonem *Jud. de legatione ad Cajum p. m. 870.* sed Vespasianus diligentissimus Paterfamilias, Edicto omnibus Civitatibus praecepit, ne plures, quam ternos legatos mittant *l. 4. §. 6. ff. de Legation.* scilicet sumptuum coërcendorum causa, cum quaeque, ut maiore cum apparatu Principem adirent, in ejus honorem, ut credibile est, modum excederent: honori enim Principibus datur, si ad eos major legatorum numerus mittatur, ut & ex Plutarcho intelligimus, in Libro *de Garrulitate p. m. 314.* "Novo ambitionis genere Ludovicus XIV. Franciae Rex, cum ad pacem Neomagensem convenirent legati, defendit, Electori Brandenburgico jus non esse, nisi unum legatum mittendi. Quod palam Juri Gentium repugnat, eo enim licet negotia sua expedire per tot legatos, quot libuerit, nec puto ulli antea Principi de eo controversiam fuisse motam. Possem & alias differentias exsequi de utroque

que genere legatorum, sed sic longius di-
gredcer, quam oportet.

C A P. VII.

*Ex sola ratione in utramque partem
disputari posse. & disputatum esse
de foro legatorum.*

Ubi legati conveniri vel accusari de-
beant, si rationem, eamque solam,
sequamur magistram, definire non est in-
facili. Quod Juris Romani esse dixi, id
& Juris Gentium esse oportere, & reve-
ra esse, disputat Albericus Gentilis *de Le-
gatione. L. II. C. 16. 17. & 18.* ut scilicet
tam civilis, quam criminalis in legatum
sit jurisdiction, eorum nomine, quae tem-
pore legationis egit vel deliquit. Nec, in
causa civili, inter legatos subditos & non
subditos distinguit Carolus Paschalius in
Legato Cap. 33. in omnibus secutus ratio-
nem Juris Romani. Multa possunt in eam
sententiam dici. Legatus equidem Prin-
cipem repraesentat, sed, ut mandatarius
mandantem, in iis, quae mandata sunt.
Cavendum igitur, ne qua mora, neve a-
liud impedimentum objiciatur legato, quo-
minus mandata, in rem Principis sui,
commodum exequi possit, sed cum non
con-

contineatur mandatis, ut ipse in rem suam contrahat, multo minus ut delinquat, an sine offensa Principis non subjiciemus legatum jurisdictioni ejus, apud quem vel contraxit, vel deliquit? an patiemur legatum, qui delicto Jus Gentium violavit prius, eodem Jure Gentium utifrui ad eludendam poenam, quam meruit, vel sane ad eludendum judicium ejus, apud quem, & in quem, vel in cuius subditos ipse,rupto Jure Gentium, deliquit? an patiemur legatum alios obligare, cum ipse non obligetur, vel potius alios convenire, ob quamcunque causam, cum ipse ob nullam conveniri possit? an patiemur legatum contractibus privatis, qui nihil quicquam pertinent ad causam legationis, civibus nostris, more praedonis, impone, eorumque res & pecunias domum auferre? idque nulla saepe spe repetitions, ob difficultates & impensas itineris, ob periculum litigandi in alieno Imperio adversus duriorem adversarium? Et color quaesitus ei rei erit, ne quicquam impediatur legatio. Atque si scilicet legatis commodum esset contractus celebrare, & pecuniis cives emungere, sed non esset commodum, litem sequi. Abstineant contractibus, si lites metuant, aut litigent, si contrahant & meminerint in eo, quod

notissimos legationis terminos excedit, jure privatorum sc, ac foro subditorum uti. Nec moremur judiciorum occupationes, quibus, spatiis exclusi inquis, a legatione avocarentur, cum perpetui legati, quales fere nunc sunt, vix habeant, quod agant, & tempus fere transigant epulis, spectaculis, aliisque rebus ludicris, satis contenti, Principem quandoque epistolio monere, se adhuc vivere illius memorem.

Sane Curia Hollandiae has rationes, quasi Juris Gentium essent, olim probavit, nam anno 1644. 19. Decembr. contra legatum Sueciae, apud Ordines Hollandiae quiritantem, iisdem Ordinibus respondit, sibi jurisdictionem esse in legatos, quod ad ea, quae ejus officium non concernunt (legationis enim nomine soli, qui eum misit, teneri) dummodo ne ipsa legati persona cogatur, affligatur, eique relinquatur, ne egeat, & ita se semper usam, idque convenire consuetudini plerarumque Gentium, praesertim Europaeorum, vid. Aitzema L. XXIV. p.m. 790-799. Ipsa querela legati, & ad eam Curiae responsio est apud Bort de Arrestis C. IV. n. 14. Et eadem Curia Lusitaniae Regis legatum, ob aces alienum, durante legatione contractum, non tantum in jus voca-

DE FORO LEGATORUM CAP. VII. 51
vocavit, sed & arresto detinuit, ut me-
morat Wicquefort *en son Ambassadeur*
L. I. Sect. 27. p. 838. & 839. tametsi vul-
go, qui legatos etiam foro alieno subji-
ciunt, ab arresto tamen immunes pro-
nuncient, quemadmodum uno ore pro-
nunciant Auctores, quos laudat Bort *d.*
C. IV. n. 15. 16. 17. & 18. Rursus ea-
dem Curia, ex contractu locationis con-
ductionis legatum Hispanicum ad se in jus
vocavit, ut est apud Aitzema *L. XLVIII.*
p. 1059. Quin & haec ipsa Curia lega-
tum Regis Angliae, huc missum ad ra-
tiones quasdam cum Ordinibus compo-
nendas, arresto detinuit; sed rescissum
est id arrestum Decreto Ordinum Hol-
landiae *14. Aug. 1681.* quod exstat inter
Ordinum Decreta adhuc inedita.

Habes rationes, & Curiae auctoritatem
contra jus revocandi domum. Neque
tamen desunt rationes, quibus pro jure
revocandi domum, legatis per omnia &
in omnibus competente, disputari, & a-
liis rationibus contradici possit. Quanti
Gentium tranquillitas & amica quies, tan-
ti legatorum necessitas & utilitas aesti-
manda est. Sine his quis pacem & foe-
dera conciliaverit? quis Gentes inimicas,
dum in mutuam perniciem ruunt, placi-
de composuerit? & quis non his pacis
D 2 foede-

foederumque nunciis id dabit, ut, ubi sunt, tuto esse liceat? si quid ea res habeat ex iniquo, ut omne magnum exemplum, utilitate publica rependetur. Si in delicta inquire, & ob ea puniri vis legatos, maxime si quid moliantur adversus Principem, ad quem missi sunt, nullus, nullus, inquam, legatus satis tutus erit. Execute officium legatorum, ut nunc est, & olim fuit, & absolvitur hoc uno, ut Principi suo quam maxime prosint. Saepe autem nequeunt prodesse, nisi Magnates in Imperio, ubi sunt, dividant, & vel prece vel pretio in sententiam suam trahant; nisi arcana Imperii explorent & detegant, corruptis forte amanuensibus; nisi simultates & factiones ferant ac alant; nisi denique vino & Venere, gratia & sordibus rerum suarum satagant. Mox igitur parata erit accusatio & poena? tolle omnem legationem, si haec sublata cupis. In criminis communi an non carcer, an non alia, quae incident, turbabunt literarum commercia, & impedit executionem mandatorum. In causis civilibus fere tantumdem dicimus, nam cui jurisdictionem damus, ea quoque damus, sine quibus jurisdictione explicari non potest. 1. 2. ff. de Jurisdictione. frustra est omnis in jus vocatio, frustra & inanis judicis sententia, cui parere

rere non est necesse. Nisi igitur pareat legatus, eum damnabimus ad malam mansionem, ut fiat carceris inquilinus, quod extreum est in jurisdictione? sin minus, quid proderit sententia? sin autem, an non legatio impedietur? Ait quidem Gentilis eo loco, quem initio *hujus Capitis* adferebam, si legatis tribuas jus revocandi domum, neminem fore, qui cum ipso contracturus est, commercio quodammodo eis interdicto, & sic ait, atque si JCTi Romani ita saperent; quam rationem etiam Curia expressit in Epistula, quam 19. Dec. 1644. ad Ordines Hollandiae misit in causa legati Suecici. Sed nulli veterum JCTorum hoc in mentem venit, de minoribus & foeminis alicubi id traditur, &, quod ad legatos, abunde responsum est a Grotio de Jure B. & P. L. II. C. 18. §. 16. Sane ipsorum est cavere, ne, quod habent privilegium, sibi noceat, & possunt cavere, si vel praesenti pecunia contrahant, vel, ut vulgo nunc fieri solet, dato fidejussore vel pignore. Ipsorum quoque civium est cavere, ne cum legatis vel omnino non contrahant, vel discant caute mercari, ipsum est scire, si qua lis oriatur, se conveniri posse, legatos non posse, nisi apud Judices fori sui, qui cum alio contrahit,

vel est, vel debet esse non ignarus conditionis ejus, ex pracepto Ulpiani in l. 19. pr. ff. de R. f. sibi igitur imputent, qui cum legatis contrahunt, nec ante sibi prospexerunt; si prospexerint, non est metuendum ab his, quae supra dicebamus de opimis spoliis civium, a legato domum reportandis.

Atque has postremas rationes, quasi illae nunc Juris Gentium essent, probavit ipsa illa Curia Hollandiae; nam cum anno 1651. contra alium Lusitaniae legatum, cui Ordines Foederati Belgii jam significarant, se eum deinceps pro legato non habituros, creditores a Curia postulassent Mandatum arresti, id ipsum impetrare non potuerunt, ut refert Aitzema *Annal. L. XXXI. p. m. 506.* & addit Wicquesfort en son *Ambassadeur L. I. Sect. 27. p. 856. & 857.* Curiam ea de re consuluisse Ordines Hollandiae, & hos respondeisse, Decretum Ordinum Generalium, quo significaverant, se eum pro legato deinceps non habituros, non pertinere nisi ad causam legationis, nec impedire jus Gentium in persona legati. Huc etiam spectat, quod eodem anno 1651. Ordines Generales responderunt, cum Hispaniac legatus inquiri in legatum Franciae postularet, quod epistulam suam intercepisset,

pisset, aperuisset, publicasset (quam Francicus fingebat sibi missam esse apertam a nesciebat quo) ejus rei cognitionem non pertinere, nisi ad utrumque utriusque legati Regem, dat sy beide in dat cas niet responsabel waren, als aan bare Koningen, vid. Aitzema L. XXXI. p.m. 493.

Sic habes rationes in utramque partem, habes auctoritatem Curiae, quae nunc his, nunc illis plus tribuendum censuit. Cur tam varie? responderet Wicquefortius, Curiam ab Ordinibus Hollandiae, quos consuluerat, forte edoctam, postremis rationibus in ea specie cessisse, at vero priores antea & saepe postea praetulisse ex mera ignorantia Juris publici, quam ipse totiens Curiae exprobat, & exprobraverat etiam Sueciae legatus in libello, quem Ordinibus Hollandiae porrexit 6. Sept. 1644. Wicquefortius, qui putabat a Curia Hollandiae se male esse habitum, de quo deinceps dicam, nihil praetermisit, quo Curiae auctoritatem in his, quae ad jus Gentium pertinent, minueret & rideret. Cum Anno 1676. suppresso nomine ederet *Mémoires, touchant les Ambassadeurs & les Ministres publics* p. 57. de Curia Hollandiae id dixit, quod ego malim ipsius verbis Gallice, quam meis Latine efferre: *La Cour de Justice de Hollande est composée*

d'un grand nombre d'illustres personnages, mais je crois , que je ne leur fais point d'injure , quand je dis , qu'il n'y en a pas un , qui se puisse piquer d'une connoissance fort particulière du Droit Public , qui ne fait pas partie de L'UTROQUE . Sequenti anno produxit altera ejus libelli editio , aucta non-nihil & interpolata , addito etiam Auctoris nomine , ubi p. 58. praecedentia sic mitigantur : *La Cour de Justice de Hollande est , sans doute , composée de plusieurs grands personnages , mais je m'assure , que les plus babilles ne feront point de difficulté d'avouer , que les regles du Droit Public ne se tirent point du Code n'y des Digestes , & encore moins des Decrets & des Decretales . De tous les Glos-sateurs du Droit Civil & Canon , il n'y en a pas un , qui s'estende sur le Droit Public , ou qui y applique les Loix ou les Canons , parce que ce sont deux professions , qui ont des objets differents , & qui agissent souvent sur des principes , & des maximes contraires . Quod ipsum , paucis mutatis , repetit en son Ambassadeur L. I. Sect. 27. p. 908. hoc de Curia superdicto : Elle faisoit voir , qu'elle n'avoit pas fort estudié un droit , qui ne fait pas partie de sa profession . Prima sententia effluxit ab aegritudine offensi animi , secunda oppido est verissima . Negari non potest , quin Curia , ubi de foro legatorum*

DE FORO LEGATORUM CAP. VII. 57

gatorum disputatum est, alio saepe atque
alio jure usitate sit, ut plus semel audies etiam
in sequentibus, sed si vel in causis priva-
tis id accidat, mutatis Senatoribus, quid
miremur, id accidere in causa Juris Pu-
blici, quae, ut ait Grotius de Jure B. &
P. L. II. C. 18. §. 4. VARIE a claris hu-
jus seculi ingeniosis est tractata, & ubi, si
unquam, scinditur incertum studia in con-
traria vulgus. Jus Romanum & Pontifi-
cium vix suppetias ferunt, ratio & mo-
res Gentium rem totam absolvunt. Ra-
tiones pro utraque sententia expedivi, quae
praevaleant, nunc quaestio[n]is est, illae
autem praevalebunt, quas usus probavit,
nam inde Jus Gentium est. De causa ci-
vili primum dicamus, deinde de criminale,
commodior enim de minori ad majus
erit transitus, & complectamur Disputa-
tione nostra, ut vulgo sit, legatorum
personas, comites, bona, aedes, & quic-
quid ad eos pertinet.

C A P. V I I I.

*Singularis ratio pro jure revocandi
domum. Unde sciamus, an hanc,
an alias Gentes probaverint. Te-
stimonia & exempla pro eo jure in
causa civili.*

Si quis probe excutiat rationes genera-
les, quas supra attuli, proclivior, o-
pinor, erit in eas, quae legatum eximunt
a jurisdictione ejus, apud quem degit. Sed
est & alia ratio, quae in hanc rem plus
valet, & tam in contractibus, quam de-
lictis obtinet. Grotius de Jure B. & P.
L. II. C. 18. §. 4. n. 5. eam expressit his
verbis: *Quare, inquit, omnino ita censeo,
placuisse Gentibus, ut communis mos, qui
quemvis in alio territorio existentem ejus loci
territorio subjicit, exceptionem pateretur in
legatis, ut, qui sicut fictione quadam habentur
pro personis mittentium, ita etiam fictione simili
constituerentur quasi extra territorium; unde
& civili jure Populi, apud quem vivunt, non
tenantur.* Id ipsum agnoscit Voet ad Tit.
ff. de LL. n. 12. qui tamen, quod mi-
raris, ad Tit. ff. de in jus voc. n. 43. de
foro competente legatorum ex Jure Gen-
tium

tium non ausus est sententiam ipse suam dicere. Sed quid foro tuo subjicies non subditum? nulla esse potest in non subditum jurisdictione, ut *C. II.* jam probavi. Legatus non est civis noster, non incola, non venit, ut ad nos domicilium, hoc est, rerum ac fortunarum suarum sedem transferat, peregrinus est, qui apud nos moratur, ut agat rem Principis sui. Peregrinos, qui forte apud nos sunt, non subjecimus jurisdictioni nostrae, nisi interveniente arresto, a quo personas legatorum omnis Jurisprudentia exceptit, ut est apud Peckium *de Jure sistend.* C. 5. n. 9. Berlichium *Conclus. Pract. Part. I. Concl.* 75. n. 26. & 27. Maevium *de Arrest.* C. 8. n. 114. & seqq. Bort *de Arrest.* C. 4. n. 17. & 18. & quos illi alios longo ordine laudant. Maevius quidem n. 117. arresto exponit legatos, qui in ipsa legatione contraxerunt, sed id ex eo, quod nescivit distinguere Jus Romanum a Jure Gentium. Ex ratione igitur sic habemus: legatum, in causa civili, ita conveniendum, atque si ibi, ubi legatus est, neque esset, neque contraxisset, neque bona, tanquam legatus, haberet. Ex ratione, inquam, qua legatus subditus esse non censetur, secus atque erat in Provincialibus illis & Municipalibus Romano-
rum

rum legatis, in quibus illa ratio non valebat, neque adeo illo legatorum jure uti poterant. Non aliam enim ob causam protestati ejus, ad quem missi sunt, legati obnoxii non sunt, quam ne, dum officio funguntur, conditionem mutent, & alteri, dum alterius, & fere adversarii, vicem representant, subjiciantur. Fortissima est ea ratio, & facile alias omnes, quas supra occupavi, vincit, quamvis & hae, quae suum habent pondus, non videantur vinci ab illis, quae contra adferuntur.

Verum ut, salvo Jure Gentium, nec omnes legatos, nec quibuscumque conditionibus tenemur recipere, ita nihil verat, hanc iis legem dicere, ne recipiantur, nisi prius sese subjecerint foro nostro. Si hac lege venerint, consensisse videntur in eum, cuius alioquin jurisdictioni subjecti non sunt *l. 2. pr. ff. de Judic.* Sed si nihil convenerit, nullaque in eam rem lex sit, quid tacite inter Gentes exteris actum videatur, id est, de quo quaerimus. Et defendo, tacito consensu id actum vide ri, ne legati in causa civili apud nos litigare cogantur, & tandem Gentes hanc sententiam, & rationes, quibus illa nititur, palam probasse. Ut hoc sciamus, recurrendum est ad testimonia & exempla, non unius Gentis, sed plerarumque nam

nam quamvis Lex Spartana furtum permiserit, Jure Gentium tamen prohibitum dicemus, & quamvis sacra legationum hic illuc violata sint, Jure Gentium tamen ea violare nefas esse ducimus. Si testimonia audiamus, non satis olim & nunc inter ea convenit. Quid Gentilis, quid Paschalius existimaverint, supra dixi, & exhibet Zoucheus *Jur. Fecial. Part. II. Sect. 4. n. 20.* ubi & habes Grotii sententiam, Gentili & Paschalio oppositam. Quid ipse sentiat, non addit. Sed malo Grotii sententiam ipsius verbis referre. Is magni Operis *L. II. C. 18. §. 9.* ita infit: *Bona quoque legati mobilia, & quae proinde habentur personae accessio, pignoris causa, aut ad solutionem debiti, capi non posse, nec per Judiciorum ordinem, nec, quod quidam volunt, manu regia, verius est: nam omnis coactio a legato abesse debet, tam quae res ei necessarias, quam quae personam tangit, quo plena ei sit securitas.* Si quid ergo debiti contraxit, & ut fit, res soli eo loco nullas possideat, ipse compellandus erit amice, & si detrectet, is qui misit; ita ut ad postremum usurpentur ea, qua adversus debitores, extra territorium positos, usurpari solent. Prius dixerat de criminibus, de quibus nos postremum dicemus. De debitibus nec perfecta satis est ejus sententia, nec etiam sa-

tiſ

tis clara, ut deinde per partes ostendam. Satis autem significat ex modo, quem praescribit, si legatus debitum solvere detrectet, se legatum in causa civili eximere foro ejus, apud quem degit. Non, opinor, refutabis testem legatum in causa legatorum, & si vel refutaveris, tantum valet Grotii auctoritas, ut hunc prae-euntem facile alii sequantur. *De legatis summarum Potestatum*, ait Huberus Praelect. ad Tit. ff. de in jus voc. Sect. de Arresto person. n. 6. varie nostro tempore disceptatum & observatum; praevaluit tandem sententia Grotii &c. Sed & ante apud ailios praevaluit. Antonius Mornacius ad l. 2. §. 3. ff. de Judic. eamdem sententiam ita expressit: *In legatis majoribus, cuiusmodi sunt, qui a Regibus, Ducibus & Rebus publicis mittuntur, defendit eos usque adeo jus Gentium, ut seu in civilibus negotiis, seu in capitalibus, judicium inviti vel sibi vel suis non accipient.* Idque ipsum exemplis Gentium illustrat, quae, si commodum est, ibi leges. Et Wicquefort in libello, quem inscripsit *Memoires des Ambassadeurs*, & in majori Opere de l' Ambassadeur singulis fere paginis inculcat, legatos non uti foro ejus, apud quem degunt, tam in civilibus, quam in criminalibus. Non aequae quidem mihi probantur omnes rationes

nes, quas in hanc rem adfert, nam, verbi gratia, nihil ea ratio valet, qua toties utitur, eum qui Ecclesiae, Militiae, Academiae nomen dedit, jurisdictione ordinaria eximi, & forum proprium sortiri, id enim ex privilegio est apud unum eumdemque Principem, cui Ecclesiastici milites, studiosi non minus sunt subditi, quam alii quicunque, sed vero hic agimus de eo, qui, cum subditus non sit, cuncta tribunalia rejicit ejus Principis, ad quem legatus est. Plus valet, quod ait majoris Operis *L. I. Sect. 27. p. m. 824.* pro exemptione legatorum omnes Principes censuisse, sapientes certe & prudentes, eamque sententiam rebus saepe judicatis probasse.

Sed non dicere contentus, ut dixerunt plurimi, innumera, fere dixerim, exempla adfert *d. Sect. 27. quin & Sect. 28. & 29.* quibus illam Gentium consensionem probet, maxime quidem in delictis, ubi major potest esse dubitatio, sed & in contractibus. Cum autem usus sit optimus, si non unicus earum rerum interpres, nescio, cur Huberus de *Jure Civit. L. III. Sect. 4. C. 2.* perpetuam illam exemplorum texturam in Wicquefortio non concoxerit. Ego in primis ejus diligentiam in recentidis non tam veteris, quam novi aevi

monumentis laudo proboque, nec tamen me exigi velim, ut quae ipse recensuit, ego describam, non hic meus est mos. Ad dam potius, ubi res usu venerit, quae dam ex recentioribus Annalibus, & ex ipsis legibus, postea latis. Sane ipse Huberus, quamvis & d. C. 2. in utramque partem disputet, sed iis rationibus, quas scire vel nescire non multum interest, in eo tamen convenit, legatos Jure Gentium privilegio fori tutos esse. Et sane, quod ad causam civilem, ubi de aere alieno, de testimonio dicendo, aliisve id genus litigatur, ausim dicere, inter Europaeas Gentes nullam esse, utique nullam me scire, quae legatos ordinariae jurisdictioni subjicit. Idque ipsum fori privilegium est, cui palam testimonium dederunt Ordines Generales Foederati Belgii eo Edicto, quod Cap. sequenti exponam.

C A P. IX.

Annotatio ad Edictum Ordinum Generalium, quo in causa civili legatis permittitur domum revocare, & ad sententiam Grotii de eodem jure.

GROTIUS

Illustre in primis est Edictum, quod Ordines Foederati Belgii proposuerunt 9. Sept. 1679. non ex occasione pacis Neomagensis, ut quidam fabulatur, sed ex facto, quod tunc inciderat, ut mox audiens. Edixerunt autem, externorum Principum legatos, veniuntes, morantes, vel transeuntes, eorumve comites vel bona pro debito hic contracto arresto detineri non posse, idque, dum cum his contradicunt, scire & animadvertere oportere subditos suos. Verba ipsa, lingua Belgarum vernacula, exhibebo, quia hic illuc interpretatione egent: *Dat de Personen, Domestiquen of goederen van uyttheemsche Ambassadeurs of Ministers, hier te lande komende, residerende of passerende, ende eenige schulden contracterende, nog op hare aankomste, nog gedurende haar verblyf, nog op haar vertrek van hier, sullen mogen werden*

E

den gearresteert, gedetineert of aangehouden voor eenige schulden, die sy alhier te lande souden mogen hebben gecontracteert, en dat de Ingesetenen hare onderhandelinge met de voor-schr. iijtheemsche Ambassadeurs en hare Domestiquen daar na kunnen reguleren. Nihil ait Edictum de in jus vocatione legatorum; sed cum non agat de arresto, quod ad exsequendam rem judicatam intervenire solet, sed de eo, quo lites solemus ordiri, satis intelligimus, in jus vocatione subditis interdici, quae fit interveniente arresto, quod ad eos, qui subditi non sunt. Si legati, qui apud nos legatione funguntur, ipso jure in jus vocari poterant, ne quidem arresti mentio fuisset necessaria. Agit autem de legatis externorum Gentium, eosque vocat *Ambassadeurs of Ministers*; an de omnibus indistincte id verum sit, quocumque titulo hic morentur, postmodum videbimus. De comitibus, reliquisque legatorum hominibus, qui hic Domestiquen audiunt, etiam alias dicendi locus erit, in primis vero *de bonis*, quae elocutio, ut ut generalis sit, generaliter tamen, ex mente Ordinum, accipienda non est, nisi ego prolixè fal-lar. Deinde id privilegium tribuit Edictum legatis *veniuntibus, morantibus, & transeuntibus*. De morantibus non est, ut quae-

quaeratur. De *veniuntibus* quaeri posset, an nempe, si apud eum, ad quem legantur, recepti nondum sint pro legatis, jure legatorum uti possint? ex facto pendet haec quaestio, multumque in ea valet arbitrium: nam si vix advenit legatus, palam est, & antequam recipiatur, agnoscatur, pro legato esse habendum. Contra, si diutius egerit, neque etiam ut legatus, et si legatio ei mandata sit, difficilius erit id dicere, nam possunt & privati esse externorum Principum procuratores. Ait *transeuntibus*. Benigna Ordinum erga legatos voluntas; vulgo alioquin dici solet, jus legationis non valere nisi inter utrumque Principem, qui mittit legatos, & ad quem missi sunt, caetera privatos esse. Atque ea ratione sunt, qui defendunt, Carolum V. utique jus legationis non violasse, cum duos Francisci I. Franciae Regis, legatos, per Ducatum Mediolanensem transeuntes, occidi jussiterit. Probrosum id Carolo fuisse scribit Gentilis de *Legation.* L. II. C. 3. sed alia quaestio est de jure legationis, alia de jure honestatis, quamquam non etiam desint, qui negant id sciente & annuente Carolo factum. Quinimo ipsi illi Ordines Foederati Belgii, qui hic in causa civili legatos transeuntes ab arresto immunes videntur

pronunciare, Sueciae legatum in causa criminali, in gratiam Principis Foederati, in Geldria, haud ita pridem detinuerunt, non alia ratione, quam quod codicillos suos sibi non exhibuerat. Et sane privilegia legatorum non valere, nisi apud eum, ad quem missi sunt, recte defendit Gentilis de *Legation.* L. II. C. 3. & ex eo, iisdem exemplis allatis, Grotius de *Jure B. & P.* L. II. C. 18. §. 5. & ita Recentiores plerique, vid. Zoucheum *Part. II.* Sect. 4. n. 18. Huberum de *J. C. L.* III. Sect. IV. C. 9. n. 20. & Wicquefortium variis locis; Antiquiores enim magis contra sentire videntur apud Bertachinum in *Repertor.* V. *Ambasias.* & Antiquiores secutus videtur Kirchnerus in *Legato L. II. C. 1. n. 1--28.* Sed quia illa privilegia voluntatis tacitae sunt post admissum legatum, & legatum etiam repellere licet, neque legatio inter alios, quam qui misit, & ad quem mittitur, versatur, haud dubie Recentiorum sententia vera est. Et secundam hanc, quod Edictum ait de legatis *passerende*, non *interpretor* de legatis *transiuntibus*, sed *ab*untibus**, idque indicat ordo verborum, *komende*, *residerende*, *passerende*, ut & qui möx sequitur, in eandem sententiam, nog op baer aankomste, nog gedurende haar ver blyf,

blyf, nog op haar vertrek van hier. Atque ita Edictum duntaxat erit de legatis, qui hic legationem acturi sunt, re ipsa agunt, aut egerunt, nec quicquam pugnabit cum veriori sententia, quam usus Populorum recepit.

Ait praeterea id Edictum, *pro debito, HIC contracto, hier te lande, an ergo pro eo,* quod alibi legatus contraxit, detineri poterit? sic verba ea videntur velle, sed dicendum, propositum esse id Edictum ex facto, cum Curia Holl. secundum eam Jurisprudentiam, quam supra narravi, & saepe est tuita, supellecstilem & sarcinas legati Regis Daniae arresto hic inclusisset. Quod causam dedisse Edicto memoratur in de Hollandsche Mercur. ad Annum 1679. p. 278. Ad haec dici posset, esse id Edictum conceptum de casu magis dubio, ac si certum fatis esset, pro debito, quod legatus ante legationem contraxit, hic conveniri vel detineri non posse. Exstat etiam epistula Hollandiae Ordinum Anno 1642. 18. Jan. ad Curiam Hollandiae scripta, ne ea vellet Provisie van Justitie verleenen jegens Ministers van Princen, hier te lande residerende, ten aansien van schulden, buyten dese Provincie met vrienden gemaakt. Argumentum ejus epistulae exhibit Repertorium Curiae Holl. p.

192. B. Ordines Hollandiae tunc videbantur adhuc uti distinctione Juris Romani, sed nunc utuntur Jure Gentium; postquam ita edixerunt Ordines Generales d. Anno 1679 & postquam iidem Ordines 19. Jun. 1681. satis significarunt, externos legatos, ratione fori, subditos non esse, ut est in ejus diei Decreto, quod interpretor C. XI.

Quia vero id Edictum 9. Sept. 1679. haud multum recedit a sententia Grotii, quam *Capite proximo* repraesentavi, de ea etiam nonnihil addamus. Ait ille, legati bona mobilia pignoris causa, aut ad solutionem debiti capi non posse, quia haec considerantur, ut personae accessiones. Et secundum haec Mornacius refert ad l. 2. §. 3. ff. *de Judic.* Regi Galliarum platusse, Anno 1608. male pro locario Parisiis Venetae Reipublicae legati mobilia fuisse retenta; & constanter ita usu est servatum deinceps ubique Gentium. Sed forte dices, id nimium esse, quia ea mobilium detentio non tam sit ex causa personae, quam jure in re, quod locatori competit in inventis & illatis, quodque jus, lege quaesitum, legatus auferre non possit. Sed tantum abest, ut nimium dicamus, ut vel bona, quorum meminit d. *Edictum anni 1679.* non aliter interpretemur,

DE FORO LEGATORUM CAP. IX. 71

mur, quam *bona mobilia*, id est, *utensilia*, quemadmodum plenius dicam, ubi de bonis legatorum disputandum erit. Haec utensilia nego, ex Jure Gentium, pignori esse, vel unquam fuisse, quin nec capi posse, vel ad ordiendum judicium, vel ad servandum, quod nobis debetur, vel ad exsequendam rem judicatam. Et facile adsentior Grotio, si de *utensilibus* accipias, quae ipse dixit, ea nempe pignoris causa capi non posse, *nec per judiciorum ordinem, nec manu Regia*, explosa sic distinctione, quae aliis olim, sed sine ratione, placuerat. De immobilibus legati minus perfecta est Grotii sententia, sed & hanc reservabimus suo loco.

Post ait, omnem coactionem a legato abesse oportere, tam quod ad personam, quam quod ad res ei necessarias. Quod ut generaliter dictum, ita generaliter multoties est descriptum, nec tamen satis explicatum, quid, vetita coactione, vetterur. An & in jus vocatio? nam & haec fit sine coactione & laesione personae," nec amplius, ut olim, obtorto collo: ita tamen, ne post sententiam persona legati affligatur, carceri mancipetur, eique relinquitur, ne egeat? sic Curiae Hollandiae visum est Anno 1644. ut dixi Cap. VI. sed ita non sedet Grotio, neque enim in

jus vocatio inter modos est, quos mox creditor i praescribit, si quid debiti contraxerit legatus. Primus est, ut, si res soli eo loco non habeat (quod nunc trans eo) ipse compelletur amice, quod & in aliis aliorum debitum exigendis servari ad solet. Secundus est, ut, si detrectet, compelletur, qui misit, quod etiam quandoque servatur, & hic Anno 1721. Ordines Foederati Belgii servarunt in compellando Duce Holsatiae, quod ad aes alienum, quod ejus legatus in Hollandia contraxisse dicebatur. Sed quid debita legati ad Principem, qui misit? nihil plane. Potest ea res habere utilitatem, si forte Princeps legatum moneat officii sui in expungendo aere alieno, sed ut ipse iudex se deat in causis controversis, nemo jure postulaverit. Extremum remedium, quod Grotius proponit, non satis intelligo, quale sit. Ita ut, inquit, ad postremum usurpentur ea, quae adversus debitores, extra territorium positos, usurpari solent. Quae haec sint, non exponit, nam cum nec in jus vocationem, nec detencionem, ex causa arresti, intelligat, ipse vix adsequor, quid sibi velit, nisi id velit, quod ipse verum puto, & Cap. seq. latius interpretor.

C A P. X.

*Ubi & quemadmodum legatus, in
causa civili, sit convenientius?
& ubi Consules, qui dicuntur?*

Si conveniri nequeat legatus apud judicem, ubi degit, interest scire, ubi convenientius sit. Ipsum autem Principem, qui misit, ab hac inspectione arceo, nisi, si missus non esset legatus, ipse Princeps de ejus causa fuisset judicaturus, quae judicia raro ipsi Principes exercent. Caeteroquin generaliter existimo, legatum ita convenientium, atque si ibi, ubi legatus est, neque esset, neque contraxisset, neque bona, tanquam legatus, haberet. Quia legatione domicilium non mutavit, nec forum mutasse intelligendus est, atque adeo convenietur in loco, unde in legationem profectus est, si judex ejus loci, ante profectionem, legati fuerit judex competens, vel quicunque alias ejus fuerit judex in Imperio Principis, qui legatum misit. Quod si nullibi ante profectionem habuerit vel domicilium, vel judicem, non est nisi ad supremum judicem Principis, a quo missus est, recursus. Neque legatus, ibi conveniens,

tus, excipiet, se Reipublicae causa abesse, atque adeo se invitum in jus vocari non posse, cum, fictione juris, habentur pro praesente, nec ulli caeteroquin ullius judicis foro subjici possit. Quod quam inutile esset, maxime in iis, qui perpetua legatione funguntur, res ipsa loquitur. Non, inquam, excipiet legatus nisi speciale privilegium habeat; quale Anno 1643. Ordines Generales uni legatorum suorum, quos tunc mittebant in Angliam, dederunt, ne scilicet lites inchoatas contra eum persequi liceret, sed manerent in statu, in quo erant, neve etiam novae instituerentur, quamdiu ipse absens, & sex post redditum ejus septimanias vid. Aitzema *L. XXIII. p. m. 614.*

Quod sic dico, legatos, dum legati sunt, forum novum non sortiri, sed servare vetus, quod ante legationem habuerunt in Imperio Principis sui, & legatorum conditio, quam supra exposui, demonstrat, & palam significarunt Ordines Generales *Decreto 13. Octob. 1679.* quod est in *Formulario Tom. II. C. I. p. 19.* Quaesiverat apud Ordines Generales creditrix quaedam vidua, *Consulem*, ut vocant, Ordinum Generalium, qui tunc Ulyssipone degebat, & antea Rotterdami habitarat, ubi conveniret, aut apud Curiam Hol-

landiae, aut apud Scabinos Rotterdamenses? Ordines vero Anno 1679. 13. Oct. decreverunt, ibi convenerit, ubi conveniri posset, si adhuc Rotterdami habitaret, dat se hem soude convenieren voor sodanigen Regter HIER TE LANDE, voor den welken hy soude hebben kunnen werden geconvenieert, indien hy nog tot Rotterdam wonagtig was. Créditrix, viduarum privilegio usa ex §. 8. Formae Curiae Holl. Consulem ad Curiam vocavit d. Formul. Tom. I. C. I.n. II. Adjicitur autem in eo decreto, hic, hier te Lande, cuius, si quafit, haec sententia est, extra has Regiones quoque conveniri posse, ubi, cum Rotterdami habitaret, non poterat, id est, in loco Consulatus Consulem posse conveniri, & in loco domicilii, ut de Senatore in l. II. ff. de Senator. scriptum est. Nisi malimus illa, hier te Lande, ut supervacanea accipere, ut multa supervacanea Edictis & Decretis Ordinum solent infesti, non, ut ille dicebat, dubitationis tollendae gratia, sed augendae potius, & turbandae magis sententiae.

Si, ut supervacanea accipimus, sensus erit, Consules jure legatorum uti, & vetus forum servare, non constituto novo. Si, ut quid significant, sensus erit, Consules, ut ut in loco Consulatus conveniri

ri possint, tamen & hic posse, quia non intelliguntur mutasse vetus forum, sed potius novum ei adjecisse. Et, si verum amamus, Consules illi non sunt nisi Mercatorum Nationis suae defensores & quandoque etiam judices, quin fere ipsi Mercatores, non missi, ut Principem suum repraesentent apud alium Principem, sed ut Principis sui subditos tueantur in iis, quae ad mercaturam pertinent, saepe & ut de iis inter eos jus dicant. Scio, Ordines Foederati Belgii quandoque Jus Gentium iis tribuisse, sed etiam Wicquefortius, acerrimus alioquin legatorum patronus, dans ses *Memoires des Ambassadeurs* p. 60. 61. & 62 & en son *Ambassadeur L. I. Sect. V.* p. 132. 133. & 134. eam Ordinem sententiam damnat, & ut aliquem his honorem haberi vult, sic negat, vel Juris Gentium esse participes, vel, quo de nunc agimus, esse exemptos jurisdictione ejus, apud quem degunt, tam in causa civili, quam criminali. Secundum haec etiam in §. 11. *Padorum*, quae in eunte Julio Anni 1612. inter Imperatorem Turcicum & Ordines Foederati Belgii facta sunt, convenit, ne quidem Consules, eorumve bona detinerentur, sed tamen in jus vocarentur ad tribunal Imperatoris Turcici. Idemque in §. 32. *Padorum*

DE FORO LEGATORUM CAP. X. 77.

ctorum inter Ordines Generales & Algerienses convenit de Consule, qui Algerii esset. Priora pacta habes *Placat. Tom. III. L. I. Tit. 13. n. 36.* posteriora apud Aitzema *L. I. p. m. 353.* Vides honorem, qui Consulibus habetur, at non usque eo, ut plane immunes sint ab omni jurisdictione ejus, ubi commercii promovendi causa haerent.

Supereft, ut quacramus, quomodo legatus absens in foro, quod servavit, convenientus sit, hoc est, quemadmodum facienda sint judicij denunciationes. Et quidem si legatus etiam domicilium retinuerit apud Principem suum, quin judicium ad aedes denunciari, & dies dici possit, non est ambigendum. Si non retinuerit, in jus vocabitur, ut solent absentes, per Edictum, & missa, quae diem dicit, epistula. Major difficultas est, quemadmodum apud nos legatus conveniri debeat, quae forma denunciationis servanda sit, in his nempe, in quibus jurisdictioni nostrae subest, sed de eo commodius dicetur, ubi de bonis legatorum sermo erit.

C A P. XI.

*Ubi conveniri debeat legatus, qui
in loco, ubi legationem obit, ha-
bitabat, antequam legatus esset?*

Magnis animis haec quaestio tractata est, praesertim a Wicquefortio, qui, ut Poëta ait, *κανῆς μεμνήμενος ἀτης*, omni studio contendit, subditum nostrum, dum apud nos legatione fungitur, nostra jurisdictione eximi, & concedere in jurisdictionem Principis legatis. Saepe utuntur Principes legatis exteris, quin & civibus & subditis nostris apud nosmet ipsos, nisi quod hodie Franciae Reges subditos suos, qua legatos, non amplius admittant, ut auctor est M. de Callieres en sa Maniere de negocier avec les Souverains Chap. 6. p. 72. Olim admiserunt, & etiamnum admittunt reliquae Gentes; in Hollandia quoque ea de re delibera raretur decretum est 3. Dec. 1638. sed nihil definitum. Nec ratio ulla est, cur subditi arceantur, nisi forte quod ad Gentes, quae prohibent subditum subditi conditionem mutare posse, si nempe largiamur, quod nos non largimur, ea conditione exui, qui, apud nos habitantes, exteri

teri Principis legationem obeunt. Satis autem apparet, de aliis legatis hanc quaestione intelligendam non esse, quam de his, qui, si subditi nostri antea non fuissent, omnino haberent jus revocandi dominum, & apparet, si id jus in criminibus aequae probandum sit, quam in contractibus, quod hic de causa civili dico, de criminali deinde esse repetendum, ut in plurimis aliis haec pari passu ambulant. Wicquefortius en ses *Memoires* variis locis, & en son *Ambassadeur L. I.* Sect. II. magis contendit, quam probat legatum, eo ipso quod legatus sit, fieri subditum ejus qui legavit, & Principis sui forum sequi in omnibus & per omnia, damnato Decreto Ordinum Hollandiae, sine die & Consule, quod in subditis suis contradicit, & quod ipse nescio, quale sit, nisi intelligat Decretum Ordinum Foederati Belgii, de quo dixi Cap. praeced. vel aliud corumdem, de quo mox dicam. Ipse non animadverto, quid ad rem, de qua agitur, pertineat apparatus ille exemplorum, quo d. Sect. II. ivit probatum, Principem etiam recte mittere legatum peregrinum, vel eligere Civem nostrum, ut apud nos legatione fungatur, & minus ad rem pertinet, si, ut in plurimis exemplis est, civis noster antea civitatem & domi-

domicilium mutaverit, &c, qua subditus concesserit in Imperium ejus, qui legavit. Nos quaerimus de foro ejus, qui, cum ad nos legatur, subditus noster est, sive civis, sive incola, & an hic forum novum sortiatur, an vetus servet? novum sortitur, inquit Wicquefortius, quia, ex formula jurisjurandi, novo Principi est obligatus, quia duorum Principum subditus esse nequit, quia inutilis esset Principi leganti, salvo priori foro, & quae aliae sunt ratiunculae, magis adhuc leves.

Certe apud me parum illae valent, nam quicquid Jacobus Gothofredus *de Salario C. IV. n. 9.* quicquid alii contradicant, ego non video, cur quis pluribus Principibus non possit esse in sacramento & officio, dummodo eorum rationes non pugnant, vel si pugnant, in his operam suam non praestet. Neque etiam video, quicquid contradicat Zoucheus *Jur. Fec. Part. II. Sett. 2. n. 13.* cur quis plurium civitatum, quarum singulae sui juris sunt, civis esse non possit. Secus utique apud Graecos ceterosque se rem habuisse, Romanis solis exceptis, testatur Cicero *Orat. pro Balbo C. 28. 29. & 30.* Duorum Principum subditus singulis praestare potest obsequium, singulis tributum, & bonam fidem, *sc. quid.*

quid ultra desideramus? quin, etiamsi quis subditus noster sit, non mox est in officio & sacramento nostro, nec etiam, dum legatur, mox ejus Principis civitatem acquirit, hoc enim est, de quo quaeritur, & quod Wicquefortius proponit, atque si controversum non esset. Principi autem potest esse utilis in mandato exequendo, quamvis foro nostro maneat subditus, modo non delinquat, nec fidem datam violet. Quotuscunque legatus apud nos agit, sine ulla ullius querimonia, non tantum sine crimine, sed & sine suspicione criminis; quotusquisque legatus est, qui fidem, pacto datam, religiosissime servat, nec, si vel subditus sit, a carcere vel iudiciis sibi quicquam metuit. Ne igitur dixeris, legationem impediri, vel plane inutilem esse, ex sola subjectione; ad summum dicendum est, posse quandoque impediri, si casus incidat. Quod si metuat legatus, fragilitatis suae sibi conscius, antea civitatem mutet, vel Princeps, qui ejus opera utitur, mutare jubeat. Alioquin qui subditum nostrum eligit legatum, non videtur hoc agere, ut hominem, sed ut officium ejus eximat, ut recte Huberus de Jure Civit. L. IV. Sect. 4. C. 2. n. 28. Quod autem ille distinguat, & ajat, legatum, si in officio consideretur, non esse sub-

ditum, alias esse, verissimum quidem est, sed vix illa distinctio ullum habet pondus, cum nemo negaverit, legatum Principi leganti oportere reddere rationem legationis, bene vel male gestae, quemadmodum omnis mandatarius tenetur mandanti reddere rationem mandati, quod suscepit. Agimus de eo legato, qui subditus noster est, & extra causam legationis contraxit vel deliquit, & contra Wicquefortium defendimus, hunc, nisi palam civitatem vel domicilium mutaverit, subesse Imperio ejus, cuius antea fuit.

Wicquefortio nempe sedebat alta mente repositum, quod ipse, qui Amsterdami natus erat, Hagae habitaverat, & in fide & stipendio fuerat Ordinum Generalium, etiam postquam Ducis Luneburgensis auctor esse cooperat, titulo *Residentis*, Curia Hollandiae apprehensus, & 20. Dec. 1675. damnatus erat ad perpetuos carcerares, publicatis bonis. De ipsa sententia nihil dicam, quam Curiam eum, quamvis legatum, damnasse, quod secreta Reipublicae, quae celare oportuerat, illicitis literarum commerciis revelasset. Hinc illae lachrymae, hinc jus Gentium viatori acerbe questus, primum suppresso, deinde aperto nomine jura legatorum vindicavit, & post, quicquid est ejus argumenti,

DE FORO LEGATORUM CAP. XI. 83

menti, exposuit justo opere, cui non est aliud, quod p[re]feramus. Caeterum ut in sua causa judex est incompetens, sic nec rationes ejus me moverint in aliam, quam supra defendi, sententiam, legatum scilicet manere subditum, ubi ante legationem fuit, atque adeo, si contraxit aut deliquit, subesse Imperio, cuius antea suberat. His autem consequens est, nostros subditos, quamvis alterius Principis legationem accipient, subditos nostros esse non desinere, neque forum, quo semper usi sunt, jure subterfugere. Et tantum abeit, ut Wicquefortius vel ullum nullius Gentis exemplum in contrarium adferat *d. Sect. II.* ut potius duo vel tria adduxerit, quae, quod dixi de subjectione subditi, apud nos legati, palam confirmant. Prodest quoque in hanc sententiam Decretum Ordinum Generalium 13. Oct. 1679. cuius memini *Cap. praeced.* nam si legatione domicilium non mutetur, quod etiam de Consulibus ait *d. Decretum*, & de aliis legatis adhuc magis verum est, appareat, legatum ibidem loci esse conveniendum, ubi, ante legationem, domicilium habebat, hoc est, civem nostrum apud judices nostros.

Sed quid moror adferre Decretum Ordinum Generalium, factum 19. Jun. 1681.

quod rem totam absolvit quod ad legatos in Belgio Foederato, qui antea ibi larem foverunt. Exhibit id Decretum *Formularius Tom. II. C. 25. p.m. 299. & 300.* & dignum est, ut memoretur. Judaeus quidam, qui Amsterdami multos annos habitarat, ibique mercaturam exercuerat, plurium creditorum debitor factus, ad Judices Amsterdammenses in jus vocatur, damnatus exsequitioni contradicit ex Edicto Ordinum Generalium 9. Sept. 1679. ex eo enim neque se, neque bona sua ob debitum, hic contractum, conveniri vel detineri posse, esse se legatum (*Residentem* vocant) Ducis Meklemburgensis, atque ita uti posse jure legatorum. Creditores Ordines Generales adeunt, petuntque, Ordines declarare vellent, illud Edictum locum non habere, ubi debitum ab incolis harum Regionum, tanquam mercatoribus, aliisve privatis, non tanquam ab externorum Principum legatis, contractum est; posse etiam, si quid istiusmodi legatis debeatur, id compensari cum eo, quod ipsi ex alia causa debent suis debitoribus (creditoribus dicere voluerunt, certe debuerunt.) Ordines autem Generales d. 19. Jun. 1681. decreverunt, si creditores probare possent, Judaeum illum, antequam ut legatus Ducis Megalopolis

lopolitani ab Ordinibus Generalibus ag-
 nosceretur & acciperetur (erkent en aange-
 nomen is) Amsterdami aliquot annos habi-
 tasse, ibique mercaturam exercuisse, eo
 casu illum eo Edicto 9. Sept. 1679. gau-
 dere non posse, addita ratione generali:
 dewyl haar Ho. Mog. geene Ingescetenen van
 den Staat in qualiteit van Ministers van eenige
 Coningen, Princen, of andere Potentaten
 erkennen en aannemen, als onder dese expresse
 conditie, dat de selve daar door niet werden
 geeximeert van de pligten van onderdanigheid
 respectivelyk, ook ten regarde van de juris-
 dictie over bare personen en goederen, soo in
 het criminel, als in het civil; en dat ook
 sodanige personen, die verswegen souden mo-
 gen hebben Ingescetenen van den Staat te syn,
 en by sub-en obreptie sonder eenige limitatie
 of conditie tot (debet esse, voor) Ministers
 souden mogen wesen erkent en geadmitteert,
 niet kunnen of vermogen te jouisseren van het
 regt van de praerogativen, die (debet esse,
 dat) alleen aan sodanige uytbeemsche Mini-
 sters, die geen ingescetenen van den Staat syn,
 wert geaccoordeert en toegestaan. Quorum
 summa huc redit, neminem subditum, ut
 legatum alterius Principis admitti, nisi
 ea lege, ne subditi conditionem exuat,
 etiam quod ad forum, tam in causa civi-
 li, quam criminali, & si quis legatus, sup-

pressa mentione subditi, fuerit admissus, hunc non usurum jure, quod externorum Principum legatis duntaxat competit. Nescio, id sit jus novum, an vetus: nam cum Anno 1658. Actor Episcopi Monasteriensis, qui & aliorum Principum actor fuerat, in carcerem conjectus, & ad Episcopi preces dimissus esset, de eo jure ne cogitatum quidem invenias, vid. Aitzema L. XXXVIII. p. m. 137--139. Sed non certo mihi constat, quod aliis videatur constare, hunc Actorem hic antea fuisse subditum, &, si fuisse, non una illa species me dimoverit a sententia, quam, vel sine auctoritate legis, veriorem & aequorem esse puto.

C A P. XII.

Variae inspectiones de foro competenti pro varia conditione legatorum.

Si Princeps ex alieno Imperio, sed non nostro, legatum elegerit, & ad nos miserit, ecquod ille forum sortietur? ejus, opinor, Principis, cuius ante legationem fuit subditus. Externus ille quidem legatus est, quod ad nos, neque adeo nostro foro subjicitur, sed servabit forum vetus,

vetus, non mutato domicilio. Qui legatum eligit peregrinum, eligit industria hominis, & fidem bonam in obeunda legatione, caetera hominem relinquit Principi & foro suo, nisi constet, legatum pristinam subditi conditionem exuisse, & induisse novam Principis legantis.

Sed quid si legatus externi Principis, ratione officii, nobis sit subditus, ut Charnacé & Destrades, ambo Regis Franciae ad Ordines Generales legati, & ambo sub iisdem militantes? defendit Wicquefort majoris Operis *L. I. Sect. II. p. 266.* ne quidem eos judicio militari fuisse subiectos, in delictis pure militaribus. Sed ea sententia nos non utimur. Sacramento legibus militiae obligatus est, quicunque militat, nec ea religione, iisve legibus militem solvit suscepta legatio. Plus dico, si miles ante susceptam legationem nostri fori homo fuerit, manet, qui fuit, etiam post susceptam legationem, sed si, dum legatus est, militiae nostrae nomen dederit, foro militari erit subditus, in causa militari, in reliquis omnibus habebit jus revocandi domum. Sibi imputet Princeps, quod militem nostrum, atque ea ratione nobis subditum, legatum eligat, sin autem, patiatur nobis subesse in his, quae ad rem militarem pertinent.

De Cardinalibus, qui legati mittuntur, dubitari posset, quia ex jure Pontificio constat, hos, utique in causa criminali, nulli Principi esse subditos, ne illi quidem, qui Cardinalem legatum misit. Expedit res est, si alibi, quam apud Papam, legatus degat, tunc enim revocabit ad forum Ecclesiasticum, cui subest, sed si ad Papam legatus delinquat, si cum ipso Papa audacius agat, ut in Cardinale Borgia, Hispaniarum Regis legato, & aliis, ejusmodi exempla circumferuntur, an Papa ei judices dabit? esset hoc exemplo perniciosum, &c, ut puto, contra Jus Gentium, quod legatos defendit. Et cum res incidit, inciderunt autem saepe, Pontifices a judicio abstinuerunt, ne legati officium pereat, & Principi leganti omnino fiat inutile, nequit enim Cardinalis forum mutare, ut alias legatus potest, mutata prius Civitate. Post finitam vel renunciatam legationem nihil impedit, quominus Cardinalis accusari vel damnari possit a judicibus fori sui, si non in his, quae ad legationem & exsequutionem mandati pertinent, in aliis certe, quae deliquit, etiam durante legatione.

Sed quid si dicamus, frustra de eo disputari, cum Cardinalis nunquam videatur damnari posse, utique si Jus Canonicum audiat.

DE FORO LEGATORUM CAP. XII. 8.

audiamus in C. 2. & 3. Caus. II. Quaest. 4.
Ait C. 2. Praesulem, id est, Cardinalem
Episcopum, non damnari, nisi cum 72. te-
stibus, Presbyterum Cardinalem, nisi cum
44. testibus, Diaconum Cardinalem, nisi
cum 27. testibus, atque ita porro. quod ipsum
de 72. testibus repetitur in C. 3. Si enim
illi nunquam damnentur, nisi tot testibus
convicti, de stupro forte vel adulterio,
vel alio etiam crimine, quod palam fit,
nunquam damnabuntur ex praescripto Ca-
nonum, nam nunquam ad delinquendum
tantus populus congregari solet a delin-
quente, & raro etiam, vel nunquam tantus
populus fortuito solet adesse. Pessime se ex
illis extricavit Glossa ad d. C. 2. & 3. & alii
hanc Jurisprudentiam Ecclesiasticam ri-
dent, etiam ideo, quod & alias Canones,
praecunte Euangilio, duobus tribusve te-
stibus sint contenti, ut est in eadem Q.
4. princ. & saepe alibi. Risit sane eam
jurisprudentiam Matthaeus de Crimin. ad
L. XLVIII. ff. Tit. 15. C. 3. n. 7. refuta-
to omni ejus juris colore, ab aliis praetexto,
risit Wissembachius Contradic. Ju-
ris Canon. n. 55. & quidni & nos ridea-
mus, si ea sit horum Capitum sententia,
quam vulgo esse credunt. Sed, quantum
in nobis est, Juris Pontificii auctoritatem
& dignitatem absolvamus a deridiculo, &

per *testes* potius intelligamus ipsos *judices*, qui delictum esse videri, testantes condemnant, testantes, inquam, & sententiae subscriptentes, ut vulgo fieri adsolet. Ita esse interpretandos *testes*, ipsa Capitulorum verba significant, nam postquam C. 2. dixerit, Praefulem non damnari nisi 72. testibus, mox addit, nec *Praeful* summus a quoquam JUDICABITUR, neque adeo vel a 72. judicibus, & aperi-
tius C. 3. probata sententia per 72. *testes*, & de iisdem, si inter eos, quos damnandos esse dixerint homines, fuerit *Episcopus* nullus super illum definitivam *praesumat dare* sententiam &c. Est hoc judicum, qui sententiam, non eorum, qui testimonium dicunt. Capituli secundi sententia quoque expressa est *Capitul. Caroli M. L. I. C. 130.* nisi quod *testium numerus variet in omnibus aliis*, qui praeter Praefulem enumera-
rantur, & Cujacius *L. XVII. Observ. 9.* quamquam nonnihil obscurus, quod in Capitulari Caroli Magni legitur, ad ipsos *judices videtur transferre*, utique in exau-
guratione *Episcopi* 72. *judices desiderat*, quod *judicium* 70. *Episcoporum appellatur*, numero rotundo, ut 70. *Interpretes dicimus*, & 70. *Seniores Synedrii Judaici*, ad cuius *Synedrii exemplum forte hoc judicium ex tot judicibus compositum fuit.* Chro-
nopium

DE FORO LEGATORUM CAP. XII. 21
nopium quemdam 70. Episcoporum ju-
dicio damnatum refert l. 20. C. Theod.
Quorum appell. non recip. & Jacobus Go-
thofredus ad d. l. 20. memorat, cautum
fuisse Synodo Romana, & Epistola Ni-
colai, ne Episcopus nisi sub conspectu 72.
testium damnaretur. Ad judices id perti-
nere ex actis Marcellini Papae constat,
ut qui a libra occidua, id est, 72. Episco-
pis est damnatus. Ipsa acta, & alia, quae
huc pertinent, habes apud Gothofredum
& Cujacium d. locis. Si plura desideras
de libra occidua, & 72. judicibus, & de
ratione hujus appellationis, satisfacere po-
terunt Josephus Scaliger de Re numma-
ria p. 65. & Scaligerian. II. in V. Occidua,
& ipse ille Jacobus Gothofredus de Mu-
tat. & augm. monet. aur. p. 11. & 12. In an-
tiquis etiam Hollandorum legibus judices
vocantur getuigen en tuigen, & inde judi-
cium septemvirale, Seventuig, quo de est
Philippi Burgundi lex, Anno 1447. 9.
Aug. Hollandis data, in de Handvesten
van Monnikendam p. m. 28. & 29. Digres-
sionis, opinor, veniam impetrabit occa-
sio & dignitas argumenti.

C A P. XIII.

*An domum revocent omnes legati
cujuscunque dignationis?*

EX solis legatorum titulis, quibus vulgo appellantur & distinguuntur, hanc quaestionem finiendam non putaverim. Legatos dicimus generali verbo, ut *Afgesanten en Ministers*, speciali vero *Ambassadeurs*, *Envoyés*, *Residenten*, *Nuncii vel Internuncii*, *Agenten*, *Gedeputeerde*, *Commissarissen*, atque illi omnes vel ordinarii vel extraordinarii. *Envoyés* olim minus frequentabantur, hodie magis; *Residenten* olim magis, hodie minus; *Agenten* aequo nunc; ac olim, sed olim dignius habiti, quam nunc. Fere ad solemnia legationum hae appellationes pertinent; unde, cum Belgae Foederati saepe usi sint *extraordinaris Gedeputeerde*, minus nota aliis Gentibus voce, saepe quae- situm est, quibus solemnibus salutandi effient ac recipiendi. Ut nominibus differant, rem ipsam non differunt, ut Cap. I. dicebam; quodcunque nomen Principi placuerit adscribere mandato, omnino perinde est quod ad jus legationis. Verisime dixit Wicquefortius *en son Ambassadeur L. I. Sest. 5.* ex mandato pendere omnem

DE FORO LEGATORUM CAP. XIII. 93

omnem ejus rei inspectionem, & inde aetimandum, iis, de quibus agitur, privilegia legatorum competant, nec ne: nam quod Curia Hollandiae dicebat annis 1644. & 1659. solos legatos, qui *Ambassadeurs* vocantur, & majoris commatis sunt, uti privilegio juris Gentium, & legatorum habere praerogativas, nec rationem habet, nec au^roritatatem ullam. Sed id jam occupavi d. C. I. Quin *Ambassadeurs*, *Envoyés* & *Residenten*, quod ad forum attinet, eodem jure habeantur, & semper fuerint habitu, praeter Curiam, nescio, an quisquam aliis dubitaverit unquam. In Epistula Curiae, ad Ordines Hollandiae missa 1644. ait, se τοῖς *Residenten* non largiri legatorum privilegia, & anno 1659. aperte negavit. Atque hinc, cum Lusitaniae Rex Alphonsus VI. Residenti suo apud Ordines Generales Didaco Lupo d'Ulloa nihil pecuniarum mitteret pro exsolvendo aere alieno, quod Hagae contraxerat, anno 1666. utensilia ejus, au^roritate judicis, pignori capta & distracta sunt, vid. Aitzema L. XLVI. p. m. 919. Idemque cum anno 1668. in Lusitaniam ire constituisse ad componenda ea, de quibus Lusitani & Ordines Generales inter se disputabant, a creditoribus au^roritate Curiae Hollandiae arresto detentus est, primum domi suae, dein-

deinde *in de Castelenye*, & 26. Apr. 1668: *op de Poort*, & quidem *op de gemeene Gy sel-kamer*, postea tamen separatim, in eodem carcere. Lusitanus legatus apud Ordines Generales petiit, permitteretur Residenti iter suum perficere. Ordines Generales eam rem Ordinibus Hollandiae commiserunt, hi Curiae suae, ubi allegatum legatorum privilegium nihil profuit. Ulloae causam deteriorem facere videbatur, quod argenteam supellectilem, heri emptam, hodie pignori poneret, ut praesentem pecuniam haberet, Aitzema *L. XLVIII. p. m. 1042. 1043.* & 1059. quasi scilicet improbus est, qui mutuum sumit, mox expensurus, nec restituturus. Ex custodia autem dimissus non est, nisi 1. Jul. 1669. postquam cum creditoribus suis transegisset, ut lego *in de Hollandsche Mercur. anni 1669. p. 122.* Sed haec omnia nullo jure, &c, ut mihi videtur, contra Jus Gentium, etiamsi improbitas accesserit. Anno 1657. Residens Brandenburgicus in Anglia ob debitum arresto detentus, sed, ut vitio detentus, dimissus est, contra detentis, qui ipsum detinuerant, creditoribus & Officialibus, vid. Aitzema *L. XXXVII. p. m. 997.* & *L. XXXIX. p. m. 655.* & hoc iustum est.

De Actoribus, qui Agenten vocantur,
plus

plus dubitatur, & hodie quidem magis, quam olim, quia, ut dixi, olim dignius habebantur. Legatis, quod ad tuitionem publicam, eos annumerat Edictum Ordinum Hollandiae 29. Mart. 1651. Actor Regis Marocani Anno 1633. ad Curiam Hollandiae in jus vocatus, praescriptio ne fori se defendit, Curia quidem praescriptionem rejicit, sed Senatus Supremus, cum appellatum est, admisit, rescissa Curiae sententia, s. Jul. 1633. nec dubitandum, quin recte admirerit, si, ut narrat Aitzema L. XXIV. p. m. 800. Ordines Foedera ti Belgii illi Actori concederint jura legatorum, quod tamen ex Actis Supremi Senatus ipse non comperi, &, si quid ejusmodi accidisset, non video, qua ratione quidam Senatores contra sententiam respondissent, & qua ratione alii Ordines Generales adeudos esse censuissent, quo illi sententiam suam de privilegiis hujus Actoris explicare vellent. quod utrumque mihi constitit ex Actis Senatus. Russus, ut causae civili criminalem invitus quoque misceam, Actor Episcopi Monasteriensis, qui Ordinum Generalium juratum Amanuensem, ad secreta Ordinum eliminanda, corrupisse dicebatur, custodia quidem detentus, sed repetente Episcopo, suumque legatum esse afferente, dimissus

est Anno 1658. ut ad finem Cap. XI. alia occasione monui. Ad privilegia legatorum unice provocabat Episcopus; & sane jura Actorum tunc erant prolixiora, & latior eorum potestas, sic ut etiam Principem repreaesentarent, non minus atque alii legati. Deinde fere obtinuit, ut illi Actores non essent nisi privati Principum procuratores, cum mandato ad certas res, neque adeo haberentur jure legatorum, quemadmodum nec hodie habentur tot tantique fungi & stipites, qui emendicato hoc titulo superbiunt. Plerique etiam eorum sunt subditi ejus, apud quem res alterius Principis agunt, nec admittuntur, nisi ea lege, ut subditi conditionem non exuant. Si tamen Princeps hodie vel Actorem leget, sed addat codicillos adeo prolixos, ut cuicunque legato convenienter minus augustum nomen, si me audias, Actorem a jure legatorum non excluderet.

Idem repetitum esto de his, qui *Commissariissen* audiunt. Imperator Germanorum, hoc titulo, saepe legatos mittit, plenissima potestate praeditos, de quibus nefas esset dubitare, an jure Gentium habendi essent. Alii, hoc titulo, mittuntur ad exsequendam rem singularem, sibi mandatam, neque hic utuntur jure legatorum.

torum. Ordines Generales Anno 1629. Rotterdami arresto detinuerunt ejusmodi *Commissaris Regis Anglici*, neque dimiserunt, nisi postquam satisfecisset debito. Rem narrat Aitzema L. IX. p. 934. & 935.

Inter Scribam legationis & Scribam legati scio distingui, sed an quod ad forum distinguendum sit, nondum potui animadvertere. Uterque domum revocat, ille forte jure suo, hic qua comes legati. Scriba legationis Venetae Amsterdami navim conduxerat, qua milites in Cretam, jam diu magnis viribus a Turcis oppugnatam, transvehерentur. Deinde placuit, milites non mitti. Contractui nondum subscripserat Scriba, neque, ut convenisse ajebat, adhuc erat versus in linguam Italicam; negat igitur, se domino Navis teneri. Hic eum vocat ad Curiam Hollandiae, & arresto detinet in de Castelenye, unde, causa per aliquot dies cognita, Curia Hollandiae 9. Nov. 1668. eum non dimisit, nisi postquam cautionem praestitisset, ut habet Aitzema in Annalibus L. XLVIII. p. m. 557. sed nec in eo Curiam auctorem sequar.

Forum contractus & criminis adeo coniunctum est, ut, dum hic ago de minoribus legatis, promiscue notem, quae pro-

misce occurunt. Cromwellus, Angliae Protector, Advocatum quemdam Hagae Batavorum constituerat, ut Anglicae Nationis, hic mercaturam exercentis, Advocatus five Consul esset. Hunc Ordines Generales admiserunt, sic tamen, ut, ubicunque ageret, ordini judiciorum pareret, neque ullam praereliquis Advocatis praerogativam haberet, Aitzema L. XXXVIII. p. m. 261. Cum ille Advocatus noctu quemdam aggressus esset, & vulnerasset, a Curia Hollandiae in carcerem conjectus est; intercedit pro eo Angliae legatus, & defendit, etiam hunc Jure Gentium tutum esse oportere. Contradicit Curia, nam legatorum privilegium non tueri nisi ¹⁷⁸⁵ Ambassadeurs, non reliquos minores legatos, quin hunc non esse admissum, quam ne praerogativam haberet prae aliis Advocatis, ut haec refert Aitzema d. loc. & L. XXXIX. p. m. 679. & 680. Ordines tamen Generales petierunt 23. Jun. 1659. Curia hominem dismittere vellet; at illa non paruit, quinimo 1. Jul. 1659. (*Hollandsche Mercur. Anni 1659. p. 74. & 75.*) damnavit in multam 1000. florenorum & sexennale exilium. Sed tandem Ordines Hollandiae sententiam exsequi vetuere, ad Ordinum Generalium & legati Anglici petitionem,

DE FORO LEGATORUM CAP. XIII. 99

Decreto eam in rem facto 12. Jul. 1659.
(*Hollandsche Mercur.* p. 75.) & sic dimis-
sus est, Aitzema d. L. XXXIX. p. m: 682.
Jure, an injuria, quaeritur? jure, inquit
Aitzema d. p. 682. quamvis nec rationes
Imperii, distinctas a rationibus juris, hic
subesse negaverit; injuria, inquit Wic-
quefort *dans ses Memoires* p. 58. 59. & 60.
& fane ejus rationes facile vincunt, quam-
quam non omnes, nam in facto hic illic
erravit; & quod ille ait, Curiam existi-
masse, Jus Gentium cessare in legato de-
linquente, solis vulgi sermonibus adscri-
bit Aitzema d. p. 679. Ipse addo, Advo-
catum, qui hic ante habitaverat, forum
mutasse non censi, quamvis id speciali-
ter cautum non esset, ut tamen hic erat;
& quam conditionem nunquam revoca-
runt Ordines, etiam post exhibitum de-
nuo titulum, & alteram admissionem,
cujus meminit ipse ille Aitzema d. p.
682.

C A P. XIV.

De Legato Mercatore.

Quamvis Paulus in l. 8. §. ult. ff. de Le-
gatione responderit, eum, qui legatio-
ne fungitur, neque alienis, neque propriis ne-
gotiis

gotiis se interponere debere , & quamvis id rationem habeat summam , utrumque tamen non servatur. Bertachinus in *Reperior.* V. *Ambasiator n.* 8. jure quidem putat , legatum non posse alia curare , quam quae mandavit , qui eum misit , sed , inquit , *hodie non servatur* , nec adhuc alter sapiunt legati , nec spes est resipiscendi , quamdiu amor sui plus valet , quam amor Principis. Vacant igitur Principi , vacant amicis , vacant sibi , & facile patior legatos etiam res suas agere , dummodo Principis sui agant primo loco. Legatum mercatorem praescripsimus *huic Capiti* , quia quaestus legatorum ex mercatura nunc multo est uberrimus ex non solutis vectigalibus mercium , quas in usum suum sibi necessarias fingunt , at mox dividunt. Verum haec mittamus , & queramus potius , an legatus , qui mercatram exercuit , & in eam rem contraxit cum subditis nostris , quod ad eos contractus , possit etiam domum revocare. Incidit ea res Anno 1720. & 1721. & mihi hujus libelli scribendi occasionem praebuat , nam vix ulli erant , qui non de hoc argumento sermones caedebant , & pro ingenio quique suo judicabant. Cum Anno 1720. immodice ferveret studium aliquod mercaturae , quod ne hic , vel alibi unquam

DE FORO LEGATORUM CAP. XIV. 101
unquam ferbuisset, ipsius mercaturaे intererat, legatus Ducis Holsatiae Haga Amsterdamum se confert, & strenue mercatorem agit. Plurum debtor factus Hagam revertitur; sed & plures Curiam Hollandiae adeunt, & impetrant Mandatum arresti & in jus vocationis. Curia arrestum fuerat largita, quod ad omnia, quae legatus sub suo Imperio habebat, & creditores reperire poterant, exceptis tamen utensilibus, & reliquo legationis apparatu, & citaverat legatum, primum ad aedes, sed, cum judicio non adesset, iterum, non ad aedes, at per Edictum, correcto sic, ut videbatur, errore primæ denunciationis. Queritur ille 16. Dec. 1720. ad Ordines Generales de violato Jure Gentium. Cumque ea res pertinet ad Curiam Hollandiae, Hollandiae Ordines 9. Jan. 1721. ejus sententiam rogant, quam ipsa Ordinibus exponit 21. Jan. 1721. grandi Epistula, qua de foro legatorum ita disputat, ut non tantum Mandata sua, de quibus unice querebatur, defendat, sed & alia addat, de quibus meretur despici. Ipsi Ordines, cum Foederati Belgii, tum Hollandiae ea de re adhuc deliberant, incertum, quid decreturi sint.

Defungebatur, ut ego quidem arbitror, Curia, si probasset, bona legati, jurif-

ditioni suae subdita , quae ad exer-
cendam legationem non pertinent , a se
arresto detineri , & per ea legatum in jus
vocari posse , denunciationem quoque ju-
dicii recte fieri ad aedes legati , ut prima
denunciatio facta fuerat . Utroque pro-
bato , nihil ultra probandum erat , & u-
trumque ego facile largior , ut dicam , ubi
de bonis legatorum dicetur . Neutrum ta-
men probavit Curia , quin vel de eo ni-
hil quicquam in illa Epistula , sed ulterius
progressa de foro legatorum ita rescripsit
atque si in his solis , quae qua legati ege-
runt & contraxerunt , jus revocandi do-
mum haberent , atque si Edictum Ordin-
num Foederati Belgii 9. Sept. 1679. dun-
taxat pertineret ad aes alienum , quod le-
gatus conflavit ad exhibendam familiam ,
& tuendam dignitatem legationis suae ,
non vero ad id , quod , qua mercator , de-
bet aliis mercatoribus , & addit , nisi id
dicamus , legatum alios posse convenire ,
ab aliis conveniri non posse , quin ipsos
Principes , dum contrahunt , haberi pri-
vatorum loco . Existare etiam exempla ,
quae probant , legatos in causa civili , quae
ad legationem non pertinebat , fuisse dam-
natos , & se etiam 10. Nov. 1710. dam-
nasse legatum quemdam , foro suo non con-
tradicentem , ad extradendam cautionem
con-

DE FORO LEGATORUM CAP. XIV. 103

contra Ordines, quam ipse possidebat, & alius vindicabat. Addit Curia & alia ad defendendum forum suum, quae in illa specie militabant contra legatum, quod scilicet actione quadam, de qua litigandum erat, ei cesserant alii, cives & subditi nostri, & quod ipse privilegio fori renunciaverat.

De his, quae specialia erant in eo facto, nihil dicam, maxime cum ea quaestio, an legatus fori privilegio possit renunciare, alibi operam nostram occupabit. Ne quidem quaeram, an non ille legatus, qui & proxime ante legationem plurimos annos Haga fuerat commoratus, ad Curiam vocari potuisset, etiam post legationem, ut ante legationem poterat, ex Edicto Ordinum Generalium 19. Jun. 1681. quod exhibui Cap. XI. & cuius Curia non minim. Ostendam potius, in legato mercatore, quod ad forum, non aliud statuendum videri, quam in alio quovis, qui aes alienum, ex quacunque causa contractum, non exsolvit. Quod Curia ait, legatos foro nostro in his duntaxat non subesse, quae, ut legati egerunt & contraxerunt, desumptum est ex Disputatione quorundam apud Bort *de Arrestis C. IV. n. 13.* & ex epistula Curiae ad Ordines Hollandiae in causa legati Suecici

19. Dec. 1644. *ibidem n. 14.* Sed adeo id
Juri Gentium adversatur, ut duo duntaxat
exempla repererim, quibus vel in Impe-
rio Turcico, extra causam legationis, le-
gati in causa civili & pecuniaria respon-
dere apud Judices coacti sint, non sine
indignatione ipsius Praefecti Praetorio,
qui ibi erat, & hacc detestabatur. Ipsos
Principes contrahentes obligari, quod
est ex eadem Disputatione apud Bort *d. n.*
13. & ex eadem Epistula *d. n. 14.* veris-
simum quidem est, sed alienissimum ab
hoc argumento, nam & legati contrahen-
tes obligantur, nec de eo quaerimus, at
ubi ex contractu conveniri debeant. Quod
autem Curia d. Edictum 9. Sept. 1679.
restringat ad aes alienum, quo se suosque
exhibeat legatus, contractum, non animad-
verto, quemadmodum Edicto, generali-
ter concepto, convenire possit, & quem-
admodum ei, quod ibi dicitur *de legatis*
transientibus, in quibus id vix obtinet.
Denique ratio, quae Ordinibus hanc le-
gem persuasit, eadem est in quocunque
legati debito, cum non tam legati, quam
ipsius Principis causa agatur. Rationes
& consensum Gentium supra expedivi *C.*
VII. & *VIII.* & simul refutavi rationem
plebejam de sublato usu fori mutui ex
causa unius ejusdemque negotii. Nec mor-
ve-

DE FORO LEGATORUM CAP. XIV. 105
veret, etiamsi Curia aliter judicasset d.
10. Nov. 1710. quamquam, ut ipsa ex-
plicat, sic judicaverit in actione in rem,
quam legatum pati oportere extra omnem
controversiam esse Curia ad Ordines re-
scrispit d. 19. Dec. 1644. & ipse postea
observabo.

Nisi igitur arrestum rei alicujus inter-
veniat, quo jurisdictione nitatur, ut inter-
venire posse deinde dicam, nihil proderunt
illae rationes. Ex Jure Romano velim
in hanc rem observari *I. 4. C. de Commerc.*
& mercator. negat illa, Romanis Persisve
ultra quaedam loca, ibidem expressa, mer-
caturam facere licere, *exceptis videlicet his,*
qui legatorum Persarum quolibet tempore ad
nostram Clementiam mittendorum iter comi-
tati, merces duxerint commutandas: quibus
humanitatis & legationis intuitu extra prae-
finita etiam loca mercandi copiam non nega-
mus. Agit de comitibus legatorum, qui
eodem jure censentur, quo ipsi legati;
his legationis intuitu permittit etiam ul-
tra ea loca commercia sua promovere,
sed audi, quid addat: *nisi sub specie lega-*
tionis diutius in qualibet Provincia residentes,
nec legati redditum ad propria comitentur.
Hos enim mercaturaे insistentes non immer-
to una cum his, cum quibus contraxerint seu
resederint, poena hujus sanctionis persequetur.

Postremus Versiculus videbatur indicare , comites mercatores non distingui a reliquis mercatoribus , sed eamdem utrosque ejus legis poenam manere. Et quidni idem dicemus in causa fori ? Idem dicerem , si ageretur de comitibus , de quibus ibi sermo est , de his nempe , qui sub specie legationis apud nos haerent , nec legati redditum ad propria comitantur , hoc est , qui abeuntēm legatum sequuti non sunt. Omnis legatio olim extra ordinem decreta & peracto negotio extincta fuit. Persae legati redeunt ad suos , comites , ut rem faciant , in Provinciis haerent , mercaturaे studentes , quaesitum est , an illi uterentur privilegio illius Constitutionis ? negant Imperatores , & recte negant , quia extincta legatione etiam privilegia legatorum & comitum extinguuntur. Videri tamen posset $\epsilon\nu\pi\lambda\alpha\tau\epsilon$ id esse accipiendum , neque ita , ut , si hodie legatus proficiscatur , postridie comites privilegiis cadant , sed , ut ait Lex , diutius residentes & mercaturaे insistentes . Anno 1689. legati Angli uxoris , quae mari tum sequutura nondum abierat , bona hic arresto detenta sunt , idque , illa nequicquam reluctante , probatum , vid . Hollandsche Mercur. anni 1689. p. 272. quia , ut ibi additur , Ordines jam ante ei legationi

tioni obnunciaverant. Sed nihilominus displiceret ea festinatio in uxore, quae remanserat ad exsolvendum mariti sui aes alienum & confessim erat discussura. Utile est in hanc rem expendisse *l. 19. §. 2. ff. de Judic.*

In Foederato Belgio etiamsi legatus mercaturam in loco legationis exerceat, non tamen ideo & ibi conveniri posse, persuasissimum habeo ex eo ejus Ordinum Decreto, quod recitavi *Cap. XI.* Petierant scilicet Amsterdammenses creditores, ne legatorum privilegio uterentur, qui subditi & incolae essent, & tanquam Mercatores contraxissent. Ordines respondent, subditos & incolas, ut ut legationem susceperint, jure legatorum non usuros, de mercatura parum solicii. Non ajunt, si quis hanc exerceat, privilegium fori non habiturum, qua de re etiam aditi erant, sed si quis subditus & incola fuerit, non gavisurum eo privilegio. Id Decretum etiam silentio praetermisit Curia in sua Epistula, & tamen id liquido probat, quamvis mercatura ad legationem non faciat, ut nec faciunt mille causarum figurae, ex quibus obligationes & actiones nascuntur, in omnibus illis, id est, in quacunque causa civili, legatum externi Principis recte domum revocare.

C A P. XV.

De Comitibus Legatorum.

Qui legatos comitantur, iisque ab officio sunt, vocantur *comites*, ut scribae, medici, aruspices, & reliqui, quos recenset Tullius *Orat. 3. in Verr.* Hi pari, quo legati, jure censeri videntur in *l. 7. ff. ad L. Jul. de vi publ.* & passim, non tantum legatorum, sed & omnium Magistratum comites, eodem cum his privilegio uti Gentilis probavit *de Legation. L. II. C. 15.* Certe quod ad legatorum comites id ubique moribus receptum fertur, vid. Huberum *de Jure Civit. L. III. Sect. IV. C. 2. n. 30.* Et Hollandiae Ordines in lege, quam de tuitione legatorum edixerunt 29. Mart. 1651. etiam eorum comites complexi sunt, quodque de legatis in Edicto Ordinum Generalium 9. Sept. 1679. statutum est, etiam de comitibus eorum (*domesti quen*) statuitur, ne scilicet pro debito hic contracto detineri possent. Servi in delictis jure Romano sequebantur legatorum conditionem, hoc est, si in legatione delinquebant, cogebantur judicium Romae pati *l. 24. §. I. ff. de Judic.* Ex con-

consuetudine, quae nunc vicit inter Gentes, veri legati, non Provinciales & Municipales, quales fere Romae, domum revocant, tam in contractibus, quam delictis. Igitur in utrisque etiam domum revocabunt comites, five majores, five minores, nam & lixae, scoparii, stabularii sequuntur forum legati, ut quiunque famulus sequitur forum heri sui. Sed cum his non convenit, quod Curia Hollandiae edixit 25. Oct. 1644. (*Placat. I. I. 22. I.*) vetat scilicet eos, qui a comitibus legatorum se laesos esse putaverint, ad legatorum aedes concursum, turbam, vim facere, sed si quis ab his sibi injuriam esse factam existimaverit, eos conveniret apud Curiam Hollandiae, in gevalle iemand soude meenen of sustineren door de Domestique Dienaars van Ambassadeurs eenig sints verongelykt te wesen, dat de selve gehouden sal syn dienaangaande hem te adresseren aan den Hove, en aldaar te requireren regt en justitie, als na behoren. Secundum haec, quum Anno 1665, ageretur de puniendo comite, quem hic se asumpsisse dicebat legatus Anglicus, nostri fori hominem esse responsum est apud Aitzema L. XLVI. p. m. 165. 166. & 167. quamquam non satis ibi constaret, an in officio legati Anglici, an vero Principis Orangii esset.

Sed,

Sed, quicquid ejus rei sit, Jurisprudentia Curiae non convenit Jurisprudentiae Gentium, nec in hanc rem exemplum sufficeret, litem quod lite resolvit. Non magis id probarem, quam aliud apud Gentilem *de Jure Belli L. II.* & Bodinum *de Republ. L. I. C. 5.* quo servus legatus Hispaniarum Regis in Gallia liber judicatus est; quam Senatus Parisiensis sententiam merito quoque damnat Kirchnerus in *Legato L. II. C. I. n. 233.* Omnes legatorum homines paris sunt, cuius legati conditionis, tam quod ad leges, quam quod ad forum, exempti Imperio ejus, apud quem degunt. Et nisi exemptos dicas, inutilis est disputatio inter Auctores Juris Publici, utrum ipsi legato, an Principi, qui misit, jurisdictione competit in familiam legati? sibi arrogavit Sueciae legatus Hagae Anno 1644. negavit Curia Hollandiae, nisi dedisset Regina, & permisissent Ordines, ut est in Aitzema *L. XXIV. p. m. 791. & 792.* & in Epistula apud Bort *de Arrestis C. IV. n. 14.* Grotius *de Jure B. & P. L. II. C. 18. §. 8.* id pendere existimat ex concessione ejus, apud quem legatus agit, quod non invitus concederim, ubi de poena publice infligenda sermo est, vel de poena capitali, quam per suos privatim infligeret legatus, *exemptus*

exemplo enim grave est, in alterius Imperio jura Majestatis exercere. Unde & Cap. III. observavimus, quam aegre id tulerint Franci in Regina Sueciae, apud se degente. Modicam autem coercitionem legato non denegamus, ut, ad exemplum cujusque patrisfamilias, non denegavit Huberus *de Jure Civit.* L. III. Sett.

IV. C. 2. n. 30. eaque cuivis docenti in discipulum est concessa l. 5. §. ult. ff. ad L. Aquil. Sed quemadmodum in crimibus consuetudo hanc rem finiverit, deinde dicemus. De jurisdictione civili si quaeratur, ego in totum a Grotio, & ex parte a Curia recesserim, nam cum obtinere videatur, jurisdictionem civilem, quod ad exterros, etiam in alterius Imperio recte exerceri posse, ut quotidie exercent Consules quod ad homines suae Nationis, inter se litigantes, ipse putem, ubi de familia legati agitur, id non pendere a concessione ejus, apud quem agit legatus, sed ejus, qui misit, quia legatus ejusque familia non sunt ejus, apud quem agunt, subditi, at ejus, qui misit: is igitur est, & is solus, qui in eos jurisdictionem dare potest. Quare si, qui misit, dedit, recte exercet, quia id nihil ad eum, apud quem agit, quique adeo non magis eam jurisdictionem in subditos non

non suos impedire poterit , quam prohibere, ne legati exsequantur reliqua Principum suorum mandata, quae ad se nihil quicquam pertinent.

Sed quid si legatus subditos nostros sibi comites & famulos adsciverit, ut saepe solet fieri, an adhuc dicemus , eos forum legati sortiri , an vero nostro foro subiectos manere ? Ipsos legatos supra dicebamus forum non mutare , si ante legationem subditi nostri fuissent , multo magis igitur id de eorum Officio videbatur dicendum. Sed vero ut contra statuamus , exigit Familiae conditio , quae haec est, ut omnes; quae ad eam pertinent , subjiciantur foro patrisfamilias , atque adeo ut famulus , quot heros diversi fori fuerit naectus , totidem ipse foris subjiciatur. Senatoris famulus forum Senatoris sequitur. Cum Magistratus Haganus famulum Senatoris ad se in jus vocasset , ei , qui Supremae Curiae res judicatas conscripsit , *Decis. 117.* in mentem venit , laesae Majestatis crimen a Magistratu esse commissum ex *l. 3. ff. ad L. Jul. Majest.* ac si privatus pro potestate Magistratuvē quid sciens dolo malo gesisset. Quod est Jus Civile calumniari , non sine magna ineptia. Majestatis crimen committi , si quis ad forum non competens vocetur , inauditum prorsus est.

est. Ne dicam, causam fori competen-
tis ibi potuisse esse dubiam; sed hoc jam
non agimus. Quamvis igitur, ut dixi,
subditus noster fuerit, qui nunc est in
officio legati, a subjectione nostra exime-
tur, & transibit in forum legati. Homo
Ecclesiasticus, Sylvae Ducis natus, Thua-
no, legato Franciae erat a Divinis; cum
legatus jam in Franciam recessisset, & il-
le, tanquam legati *Domesticus* (ut vocant)
in Ordinum Generalium Imperio haere-
ret, & rem divinam ageret, Anno 1661.
apprehensus fuit, sed ad legati petitionem
dimissus, vid. Aitzema *L. XLI. p. m. 31.*
& 32. Et tamen ibi extinctam legatio-
nem posses arguere, utique finitum, quod
ad legatum, officium hominis, qui nunc
alia agebat in Imperio Ordinum. Nihil-
ominus vix sibi temperavit Rex Franciae,
quin, ut Aitzema narrat, ipsa relaxatio-
ne non contentus, durius quid decerne-
ret.

Wicquefort *en son Ambassadeur L. I.*
Sezt. 28. p. 890. Principem, qui subdi-
tos suos permittit in legati officio esse, eo
ipso ait permettere, ut alterius jurisdictio-
ni subsint, & id probo. Sed tota illa *Se-*
ctio 28. potissimum agit de re crima-
li, de qua ipse dicam peculiari loco.
Uxores cum maxime inter legatorum co-
mites

mites numerandae. De uxore secum du-
denda egit Zoucheus *Jur. Fec. inter Gent.*
Part. II. Sect. 4. n. 11. de quo vide & l. 4.
§. 2. ff. *de offic. Procons. & leg.* In perpetuis
illis & exploratoriis legationibus, quales
fere nunc sunt, usu obtinuit, ut legati
mariti uxores suas apud se habeant. Cum
Philippi IV. Hispaniarum Regis ad Or-
dines Generales legatus ordinarius, ipse
Belga, cum uxore sua Anno 1649. huc
venisset, Francicus legatus *Hermafrodi-*
ticam esse legationem inepte cavillatus est
apud Aitzema *L. XXIX. p. m. 724.* ali-
quo enim legationis officio functam cam-
mulierem, ne calumniari quidem potuit.
In Gallia uxores legatorum venientes &
abeuntes apud ipsum Regem, honoris cau-
sa, audiuntur. Sed sunt, ut dixi, inter
comites, & *comitum optimas recte* dixit
Marselaer in *legato L. II. Dissert. 18.* Un-
de nec bona eorum recte arresto detinen-
tur, si detenta aliquando fuerint, ut An-
no 1689. accidit, id improbavi *Cap. pt. de-*
ced. Legatorum liberos, in legatione
susceptos, jure originis censeri, inter
omnes constat, & ita quoque Ordines
Hollandiae decreverunt 25. Jun. 1686. ut
est in Decretis non editis.

Sed saepe quae situm est, an comitum
numero & jure habendi sint, qui legatum
comi-

comitantur, non ut instructior sit legatio, sed unice ut lucro suo consulant, institutores forte & mercatores. Et quamvis hos saepe defenderint, & comitum loco habere voluerint legati, appareat tamen satis, eo non pertinere, qui in legati legationisve officio non sunt. Quum autem ea res nonnunquam turbas dederit, optimo exemplo in quibusdam Aulis olim receptione fuit, ut legatus teneretur exhibere nomenclaturam comitum suorum, sed pessimo exemplo id nunc ubique Gentium negligitur.

C A P. XVI.

Quibus ex causis legatus possit conveniri in loco, ubi legatione fungitur, & quemadmodum tunc facienda sit iudicij denunciatio.

Legatum, ut instructus & cum instrumento est, liberum esse volo. Negro igitur eum conveniri posse, quia pati non potest id, quod extreum est in Jurisdictione, nisi subducatur officio Principis sui, & id est, quod dixi, consensum Gentium probasse. Nolim tamen quisquam ita existimet, nullo plane modo conveniri posse legatum, ubi degit,

quin, si me audias, poterit aliquando. Wicquefortius, qui privilegia legatorum acerrime propugnavit, *en son Ambassadeur L. I. Sect. 28. p. 899.* legatum ex contractu, quem ipse coram Notario & testibus celebravit, subjicit jurisdictioni ordinariae, sed vix animadverto, cur magis ex ejusmodi contractu solemni, quam ex alio quovis conveniri possit. Hic, si ullibi, manes suos passus est legatorum ille vindex & stator. Sed, ut juris privati minime consultus fuit, potuit in eo labi, potuit & alia praeterire, ut praeterivit omnia, quae nunc exsequar. Scilicet in Regionibus, ubi ob bona conveniuntur, & ex eorum arresto forum sortimur, nullus dubito, quin & legatorum bona arresto detineri, & per hoc ipsi ius vocari possint. Bona, dico, sive immobilia, sive mobilia, dummodo neque ad personam ejus pertineant, neque, tanquam legatus, possideat, uno verbo, sine quibus legationem recte obire potest. Hoc tamen, ob personae sanctitatem, temperamento, ne quid plus capiatur, quam legatus debet, & ne quid, quod ille non civiliter possidet, & si, quod captum est, quaeratur, ad legati personam munus sive pertineat, nec ne, semper pro legato benignior fiat interpretatio. Excipio igitur triti-

triticum, vinum, oleum, omnem penum, supellectilem, aurum, argentum, mundum, ornamenta, unguenta, vestimenta, rhedas sive carrucas pensiles (*dormitorias* forte appellat Scaevola in *l. 13. ff. de Aur. arg. leg.*) equos, mulos, & quae alia prolixo nomine legati instructi & cum instrumento comprehendi possunt. Supellectilem me enumerasse, & cum maxime enumerandam fuisse, non mirabitur, qui ex *l. 7. pr. ff. de Supellect. leg.* didicerit, originem supellectilis ab his esse, qui olim in legationem proficiscebantur. Haec autem omnia tunc demum excipio, si ad usum legati ejusve Familiae pertineant, non triticum, vinum, oleum, quod legatus in horreis reposuerit ad mercaturam, non equos & mulos, quos legatus hippocomus alit, ut vendat. Merces legati, ut ut res mobiles, ab arresto non magis immunes erunt, quam res immobiles, quia sine illis recte exercetur legatio, neque adeo earum detentio ulli legatis, qua legatis, impedimento est.

Ipsa Principis externi bona in Imperio nostro recte arresto subjici, & eam subjectionem forum tribuere, *Cap. IV.* probabam, nec animadverto, cur legatorum bona potiori jure habenda sint. Ipse legatus subditus noster non est, sed ejus bona,

bona, si forte apud nos reperiantur, nobis subdita sunt, & subditorum conditionem sequuntur. Ubi is, qui bona habet, et si ipse extra territorium sit, vi eorum bonorum conveniri potest, ibi & legatus conveniri poterit, si immobilia habeat, vel mobilia, quae ad legationem non pertinent. Grotius de Jure B. & P. L. II. C. 18. §. 9. res soli duntaxat pignoris capioni subjicit, sed ejus distinctionis rationem desidero. Ubi arresta non frequentantur, neque immobilia legati pignori capi poterunt ad tribuendum forum, ubi frequentantur, poterunt & mobilia, quia mobilia, quam diu in eo territorio sunt, non minus sunt subjecta, quam immobilia, ut ita in mobilibus, quae habet tanquam legatus, duntaxat aliter sentias. Ipsum legatum, quamvis apud nos legatus sit, & apud nos contraxerit, fictione Juris, quam usus Gentium introduxit, habemus pro absente, homines, quibus ille utitur, habemus pro absentibus, utensilia ejus, ut hoc generali verbo utar, personam legati sequuntur, atque adeo habemus, ac si in territorio nostro non essent, sed quid vetat absentis bona arresto detinere, & inde forum derivare? & quid vetat in legatis idem dicere, si sola, quac dixi, utensilia excipias? Si ad nos nunquam legati fuissent,

sent, sed adhuc hærerent apud Principem suum, ob bona tamen, apud nos reperta, forum sortirentur, quidni igitur, cum & apud nos degant, cum nihil innovetur? Quod legati fori præscriptione utantur, una ratio est, ne impediatur legatio, hoc est, ne legati persona Principi suo fiat inutilis, at inutilis non erit, bonis detentis, inutilis non erit, quamvis in foro nostro litiget, quamvis vincatur, quamvis ea ipsa bona, pignori capta, in causam judicati, distrahantur, & inde satisfiat creditoribus. Non ex personæ, sed ex bonorum subjectione id judicium subsistit, idque perinde agetur, atque si legatus apud nos legatus non esset. Quare omnino probo, quod Curia Hollandiae 11. Jan. 1638. legati Suecici bonis immobilibus prius arresto inclusis, legatum ad se in jus vocaverit, ut est *in de Decisien van Loenius Cas.* 82. Quidam Senatores, ut ipse ibi refert, arrestum probabant securitatis, sed non jurisdictionis obtainendae ergo, at plurimis id merito displicuit. Probo etiam, quod eadem Curia, ut ipsa memorat in Epistula, quam ad Ordines Hollandiae scripsit 21. Febr. 1721. & de qua supra dicebamus Cap. XIV. legatum Ducis Holstiae ad se in jus vocaverit, concessò prius arresto op *sodanige goederen, penningen, en effecten,*
H 4 als

als by onder de jurisdictie van den Hove soude mogen hebben, met die restrictie nogtans, dat het selve arrest niet soude mogen werkstellig werden gemaekt op desselfs meubilen, equipagie, of ietwes tot desselfs charakter speeterende. De pecunia numerata poterat quaeri, an & haec recte arresto includatur, quia utique sine ea nemo legationem obverit? sed puto Curiam sensisse de pecunia, quae legato, qua mercatori, debebatur, & apud mercatores, quibuscum ille contraxerat, adhuc erat reliqua, non de ea, quae forte legato debebatur ex literis, ut vocantur, Cambii, ad eum transmissis, ut se suosque exhiberet: nam ea pecunia, quae ad exhibendum legatum destinata est, non minus ab arresto immunem esse dixerim, quam alias ejus res, ad usum cottidianum necessarias. Fateri tamen oportet, cui usui pecunia destinetur, difficulter distingui posse; etiam lucrum ex mercatura, etiam pecuniam in haereditate, quae legato obvenit, repertam, in alimenta posse adhiberi certum est, &c, quia haec praestebat, de alia conquirenda legatum non cogitasse dici poterit. Fortasse aequius melius erit, quia in causa dubia, ut haec est, pro legato solemus respondere, omnem pecuniam arresto eximere, & hanc refer-

DE FORO LEGATORUM CAP. XVI. 121
referre inter res, ad obeundam legationem cum maxime necessarias.

Caeteroquin, ut dixi, probo Curiae Mandata, & rationes, cur probem, satis jam expedivi, quamvis nullam ex his expeditur Curia in eo ad Ordines Rescripto. Minime autem probo, quod Curia adjecit de legatis mercatoribus, aliisve, quibus defunctus sum *d. Cap. XIV.* Supereft difficultas ex Edicto Ordinum Foederati Belgii 9. Sept. 1679. quod exhibebam *Cap. IX.* negat illud *bona legatorum*, ob aes alienum, hic contractum, detineri posse, & simpliciter negat, non adhibita ulla distinctione, sive immobilia, sive mobilia fuerint, sive ad legationem pertineant, nec ne. Sed ipsa res distinguendum esse monet, nec quicquam Ordines sanciverunt, quam ne quovis modo impediatur legatio. Quin cum *bona* comitibus addat Edictum, satis appareat, de his bonis agi, quae legatum, qua legatum, sequuntur, non de his, quae plane sunt extra causam legationis, quaeque adeo jure communi reguntur. Intelligit igitur utensilia, supellectilem, sarcinas, aliave, quae adferunt legati venientes, vel hic degentes sibi comparant, ut instruētior sit legatio, quaeque abeuntes domum solent auferre. De bonis, quae hic

H 5 per-

perpetuo sunt, vel quae ad tempus, sed si-
ne ullo respectu legationis, ut est in fun-
dis, mercibus, haereditate obveniente,
& quae similia sunt, nihil illo Ordinum
Edicto definitum erit putem.

Quod ad comitum bona eadem distin-
ctione utimur, quam in legatorum bonis
indicavimus. Quae ad personam comi-
tum, qua talium, pertinent, quae ad
ipsum Comitatum ornandum, ab arresto
libera esse existimaverim, reliqua non
item. Sed vero bona comitum indistin-
cte arresto videtur subjicere ipsum illud
Edictum 9. Sept. 1679. nam liberat dun-
taxat legatos, eorumque comites & bona,
non bona comitum, quin εξ αντιδιασολής
ea dices exclusa. Verum Lex illa est
imperfecta, ut omnes fere leges hodie
minus perfecte scribuntur, atque adeo si
nova species incidat, ad rationem & con-
fensem Gentium est recurrendum, si, ut
hic, causa inde est definienda. Audio
etiam, Curiam Hollandiae Anno 1695.
comitum bona ab arresto exemisse, sed
quae illa fuerint, & proinde an jure, an
injuria judicaverit, nondum scire po-
tui.

In rem actione legatos conveniri posse,
ubi degunt, subique receptum esse, & ne-
minem, qui vel prolixe legatos defen-
dit,

dit, contradicere, Curia Hollandiae 19.
Dec. 1644. Ordinibus Hollandiae respon-
dit, vid. Aitzema *L. XXIV. p. m.* 792.
& ipsam Epistulam Curiae apud Bort *de
Arrest. C. IV. n.* 14. idque ideo, quia res
ipsa convenitur, neque aliter legatus, quam
possessor rei, cuius possessio cum proban-
da sit *l. 9. ff. de Rei vindic.* vix aliter pro-
bari poterit, quam ubi res est. Et hoc
quidem in fundo, qui vindicatur, dubium
non est, contra quam in re, legationis
causa huc transducta, vel empta, equo
forte, carruca, vel alia qua simili, nam
sic ministerium ei subducetur, quod
non esse subducendum etiam in Provin-
cialibus legatis respondit Cassius in *l. 24.*
§. 2. ff. de Judic. De actione in rem, quod
ad Jus Romanum, satis dixi *C. VI* & pro-
bavi Juliani sententiam, qui distinctionem
Cassii rejicit, sed in his, quae ad legatio-
nem pertinent, nec, si vel de legatis ex-
ternis agamus, a Juliani sententia rece-
dendum est. In aliis omnibus non subdu-
citur ministerium, nec propterea actio
in rem denegabitur. Poterit etiam, ut
modo probabam, per arrestum fundi, a-
liarumque rerum quarumlibet, dummo-
do ne instrumenti sui, quaecunque adver-
sus legatum exerceri actio, etiam actio
in personam, quum idem sit, si non hic,
sed,

sed apud Principem suum moraretur. Utque ita minus dubitandum sit de actione in rem, si non ad instructionem legati pertineat, quam exceptionem vellem Curia adjecisset.

Vulgo creditur, legatum, si agat prius, cogi etiam fuscipere actiones, & reconvencionem, quam vocant, pati, & vulgo creditur, in Provincialibus legatis id definitum esse ab Ulpiano in l. 2. §. 5. vers. Sed & si agant ff. de Judic. vide Bertachinum in Repert. V. Ambasiatores p. m. 145. Sed ille Vers. Sed & si agant, ad legatos non pertinet, ut ex Cujacio C. VI. observavimus, quia illi Romae actiones exercere non poterant. Sed nunc quia posunt, ubicunque degunt, per me licet etiam cogantur excipere actiones, ob generali regulam, quam Paulus praescribit in l. 22. ff. de Judic. Qui, inquit, non cogitur in aliquo loco judicium pati, si ipse ibi agit, cogitur excipere actiones, & ad eundem judicem mitti. Et sane reconventio non est nisi defensionis quaedam species, quemadmodum & appellatur in C. 5. fin. X. de Exception. Tu a me decem petis, recte, sed decem, & amplius, mihi debes, aequumne igitur est, ut damnatus tibi solvam, & tu non damneris? aequumne, ut compensationis utilitas, reo invi-

to auferatur? & quid si non per mutuam petitionem, sed per exceptionem reus se defendat, & ajat, non decem, sed quinque duntaxat se debere, quia legatus sibi vicissim debet quinque? excipere utique licet contra actionem legati. Sed si vel mutua petitio ipsam actionem vincat, adhuc dicerem, quod Paulus indistincte dicit in d. l. 22. qui ipse agit, fori privilegio non usurum apud eundem judicem.

Magis etiam dixerim, si ipse legatus egit, & obtinuit, & reus victus appellavit, appellationis judicium in legatum recte exerceri, nam & appellatio est defensio, & unum idemque judicium, quod ipse legatus inchoavit. Notanda est & haec species. Legatus Sueciae in Hollandia, litigat cum Fratre suo in Suecia, & cum vicit. Frater, qui Delphis habitabat, sententiae non paret. Regina Sueciae Anno 1651. datis ad utramque Curiam Hollandiae & Magistratum Delphensem epistulis sententiam exsequi petiit. Qui damnatus erat, a Curia Hollandiae Mandatum poenale contra exsequutionem sententiae petiit, sed nihil obtinuit, provocavit igitur ad Senatum Supremum, qui Mandatum appellationis concessit. Cum id deferret apparitor ad aedes legati, a quodam ejus famulo contumeliose reddi-
tum

tum est, ut haec refert Aitzema *L. XXXI.*
p. m. 515. & L. XXXII. p. m. 747. Non
disputo, an res, in Suecia judicata, hic
executioni dari possit, sed si incola Hollan-
diae, in Suecia damnatus, velit defende-
re, non posse, utique contra legatum;
in Hollandia agentem, ei licebit implo-
rare auxilium Judicis Hollandici, apud
quem legatus & poterit, & debet litigare,
jure, an injuria se defendat.

Alia etiam sunt, etiamsi legatos non
subditos dicamus, in quibus forum no-
strum non recte subterfugerint, quin &
in quibus potestas quaedam in eos exer-
ceri poterit, sed ejusmodi potestas, quae
nostros cives magis defendat, quem lega-
tos cogat. Multis aucti sunt privilegiis,
ut ipsi commodius degant, nec quicquam
turbentur in obeunda legatione, non ut,
vi illata, alios turbent, & res eorum aufe-
rant. Quod si fiat, fortasse recte utemur
iis actionibus, quae interdictionum natu-
ram magis sapiunt, quam iussionum.
Certe Supremus Senatus adversus legatum
Sueciae, ejusve homines (quod perinde
est) dedit *Mandament van Complainte*, quae-
que vi & clam facta erant, restitui jus-
fit. Contra eundem legatum, ejusve ho-
mines, Curia Hollandiae concessit Manda-
tum poenale, quin & publice edidit een

DE FORO LEGATORUM CAP. XVI. 127

Mandament van Sauvegarde, eaque Man-
data scripto ad Ordines Hollandiae defen-
dit Anno 1644. HABES haec omnia apud
Aitzema L. XXII. p. 451. & L. XXIV.
p. 790--799. & ipsum scriptum Curiae ad
verbum recitavit Bort de Arresto C. IV. n.
14. ut & legati querelam ad Ordines,
quae ibidem praecedit, & quam, quod
ad *Mandament van Sauvegarde*, ipse dam-
nat Wicquefort L. I. Sect. 28. p. 890. Et
ut dicamus, etiam aduersus legatos inter-
dictis experiri licere, *in cas van nieuw-*
wigheid of ongebruik, prosunt §. 94. For-
mae Curiae Holl. 4. Sept. 1462. & §. 8.
Formae ejusdem Curiae 20. Aug. 1531. nam
Curiae in his tribuitur jurisdictio, etiam ad-
uersus non subditos, & illos non subditos
non alios esse videri, quam ipsos legatos, con-
jecimus C. V. quo pertinet & Edictum
Ordinum Hollandiae 22. Mart. 1657. lau-
datum d. C. V. quo & non subditis inter-
dictum est certamine singulari. Scilicet
omnem *ἀναρχίαν* vetare jus fasque est, &
ut injuriam a nostris arceamus, illa inter-
dictione etiam recte comprehendimus eos,
quorum cogendorum potestatem non ha-
bemus, constat enim in mera defensione,
quam vel aduersus legatos illicitam esse ne-
mo dixerit. Et sic nonnulla Interdicta, quae
nempe prohibent quid fieri, aduersus le-
ga-

gatos probanda videntur , non quasi in rem essent, quae sola Curiae ratio est in eo libello seu rescripto ad Ordines , sed quod $\alpha\tau\alpha\chi\alpha\nu$ prohibeant: quamvis enim Interdicta in rem videantur concepta, tamen ipsa personalia sunt, si auctorem sequamur Ulpianum in *I. I. §. 3. ff. de Interdict.*

Possem ex Jure Romano etiam alias causas arcessere, ob quas legatus, quamvis externi Principis , etiam foro nostro recte videtur subjici. Atque ita dixerim, legatum aedium nomine damni infecti promittere debere , aut vicinum admitttere in possessionem *I. 28. §. 3. ff. de Judic. Juris consulti Romani* quidem id tradunt de Provinciali legato, ut verissime dicit Gentilis *de Legation. L. II. C. 16.* sed , ut recte superdicit , explorata ratio facit *jus iustud. & majoribus legatis commune.* Alia ibi addit, quae & ad majores legatos transfert, quorum quaedam probarem , quaedam non æque. Sed ocii mei non est , omnes has species excutere , & sunt etiam pleraequæ ejusmodi , ut hodie vix usum habeant.

Plus scire attinet , in his causis , in quibus legatus foro nostro subjicitur , ubi ei dies dici beat per apparitores sive officiales judicum. Advocatus Regni Suecici apud Aitzema *L. XXII. p. m. 451.* multum

DE FORO LEGATORUM CAP. XVI. 129

tum quiritabatur, legato Suecico ad domum suam diem esse dictum per apparitorem Senatus Supremi, quia sancta est domus legati, nec profananda per Officia judicum. Ejusdem legati famulus etiam alias contumeliose rejicit judicii denunciationem, a Supremo Senatu factam, ut mox referebam. Rejecit & Anno 1651. ejusdem legati cum famulus, tum uxor, aliam judicii denunciationem, ab Amsterdammensibus, ex causa arresti, transmis-
sa epistula, legato factam, apud Bort de Arrest. C. VI. n. 12. Saepe enim ille legatus & ejus homines Rempublicam turbarunt. Curia Hollandiae in ea Epistula, quam ad Ordines dedit 21. Febr. 1721. cuius supra memini C. XIV. olim se legatum, qui actione in rem conveniebatur, in jus vocasse scribit *cum clausula Edicti*, & sic ei legato, de quo agit illa epistula, ubi primum ad aedes judicium denunciaverat, deinde comperto, ut videbatur, errore per Edictum denunciavit, ut ipsa ibi narratur. Ob sanctitatem, opinor, domus, sed & forte, si vel haec sancta non esset, quod legatus habeatur absens, nec videatur domicilium mutasse. Unde dices, citationem faciendam esse in loco domicilii, quod antea habuit; & forte id sibi vult, quod lego apud Berta-

chinum in *Repert. V.* *Ambasiator p. m.*
149. quod *Ambasiator* debeat citari ad domum.
Sed vero illam aedium sanctitatem, quae
tantopere praedicatur, tanti non esse ha-
bendam, peculiari loco dicam C. XXI.
Non violatur domus, quam legatus ha-
bitat, si apparitores judicum ibi denun-
cient, quod denunciandum est. Quod au-
tem legatum fingamus absentem, in his
est, in quibus domum revocandi jus ha-
bet, nunc de his causis agimus, ob quas
judicio nostro subest, atque adeo habe-
tur pro praesente. Si clausulam Edicti ad-
hibeas, utique nihilominus verum est, e-
pistula diem judicii esse significandum, &
hanc mittendam, ubi legatus est, per ta-
bellarium forte, aliumve hominem, quo-
is utitur, & qui ne quidem ejus dignita-
tis est, cuius apparitor Curiae. Cui bo-
no ambages in re, quae, si veram animi
magnitudinem, non minutias sectemur,
nec dignitatem minuit, nec quicquam
habet ponderis? Sin aliud esse dicas, per
epistulam de judicio moneri, aliud in os-
legati, per apparitorem Curiae, diem di-
ci, ecce Εὐαγγέλιον, quod possumus adhibe-
re, ubi, ut in Hollandia, duplex cit-
judicii denunciatio, altera per apparito-
rem, altera per epistulam. Per Epistu-
lam in jus vocantur Magistratus Urbium,

DE FORO LEGATORUM CAP. XVI. 131

adoptati in Nobilitatem Hollandicam,
& pauci praeterea alii, reliqui omnes per
apparitorem. Igitur demus hoc legato,
ut ejus honori, quam fieri potest maxime,
consulatur, ut & hunc recta in jus
vocemus per epistulam, non per amba-
ges mittendam ad locum pristinae habi-
tationis, sed ubi nunc est, absque ulla
Edicti clausula, quae, si me audias,
legationis decori magis oberit, quam pro-
derit. Etiam Curia Hollandiae olim Edi-
cti clausula non est usa, sed recta per
apparitores suos legatis diem dixit. Anno
1668. liet het Hof (ait Aitzema L. XLVIII.
p.m. 1059.) door een Deurwaarder een ex-
ploit doen aan den Ambassadeur van Span-
jen over een quæstie van huuring van een huys
by den Haag. Hy liet de Deurwaarder in
syn kamer komen, en beginnende te lesen syn
exploit, de stok in de hand, greep hem d' Am-
bassadeur by den hals, en soude hem qualyk
hebben getracteert, maer hy ontliep het, en
't Hof selve seide, hy had het behoren t' exploi-
teren aan een van syndienaars. Vides, Cu-
riam distinguere inter legatos eorumque
comites, & apparitorem accusare, quod
ipse, ne quidem monitus, ita non distinx-
erit. Sed, ut dicam, quod res est, ni-
hil proderit illa distinctio, & perinde est,
sive legato, sive ejus comitibus diem ju-

dicci denuncies , quia eodem plane jure
habentur. Adhuc malim per epistu-
lam diem dici , praetermissa Edicti clau-
sula.

C A P. XVII.

*Si legatus deliquerit , ubi de deli-
cto agendum sit , difficulter ex
sola ratione expediri posse , prae-
valere tamen videri sententiam
Grotii.*

Qui in hoc argumento versati sunt , &
versati sunt quam plurimi , non
omnes aequē τὸ κενόμενον , quod Graeci
appellant , adsecuti sunt . Nihil hic pro-
dest prolixē philosophari de officio legati ,
& monere , eum esse oportere integrum
vitae , scelerisque purum , nec quicquam
vel dicto vel facto committere contra
Principem ejusve populum , ad quem le-
gatus est . Honestā oratio , sed si quid
commiserit , ubi accusari debeat , hoc est ,
de quo quaerimus . Nec rursus proficies
in hoc argumento , si legatum , qui de-
liquit , non impunem esse oportere pro-
nunciaveris & probaveris , quin & , quo
magis in illustri positus est loco , eo gra-
viori

viori illum poenae subjeceris, nam impunitatem legati non defendimus, nec scio, an quisquam alias defendat, sed si, dum in legatione est, deliquerit, ubi accusari vel puniri debeat, unice quaestione est. Alienum quoque hinc est inspectio, an non legatus, qui adversus mandata Principis sui commisit, apud Principem suum accusari debeat, nam & antea hoc lubentes largiti sumus. Alienum demum hinc est quaestio, an non legatus, qui manu agit, manu repellere possit, sive publice agat, armatus forte inter hostes nostros seu rebelles, sive privatim, cives nostros pulsanudo, occidendo, & si quid his est simile. Quicunque vim intulerit, semper vi repellere licuit, nec ulla in legatis est exceptio. Cum apud Euripidem Heraclid. vers. 272. Copreus legatus dixisset :

Mη τεσσαρεων κηρυκα τολμησεις θέειν,
Ne per Deos legatum audeas percutere,
Demophon respondit vers. 273.

Ei μη γ' ο κηρυξ σωφρονειν μαθησεται,
Nisi ille legatus discat modeste agere,
hoc est, nisi vim non inferat, quam Copreus minabatur. Recte etiam Grotius
de Jure B. & P. L. II. C. 18. §. 4. n. 7.
hanc repulsionem permittit, non per modum poenae, sed per modum naturalis

134. C. VAN BYNKERSHOEK
defensionis, ut nos ab imminenti periculo servemus, laudato quoque, sed non bene verso illo Euripidis loco. De Fabiis legatis ad Gallos & inter Clusinos contra Gallos pugnantibus dicam C. XXIV. quam historiam etiam recte huc transfert Grotius. Et jure optimo coerceri legatos, qui manu agunt, dum agunt, etiam Zoucheus consentit *Jur. Feccial. inter Gent. Part. II. Sect. 4. Q. 22. in fin.* & Wicquefort *L. I. Sect. 29. p. m. 909. 921.* & 923. nec quemquam novi, qui contradicat: nam non de forma judicii, sed de propulsione quoque vis injustae intellico, quod Paschalius dixit in *Legato C. 27. Hostili animo accedis? hostili exsiperere. Pugnas? repugnabo. Feris? referiam,* & quae ibi porro sequuntur in eandem sententiam. Sed nostra disputatio est de legato, qui crimen commisit, quod non ex tempore, at constituto judicio persequendum sit, ubi tunc accusari, ubi puniri beat.

In hac quaestione crimina legatorum bifarium considerandum est, aut enim simpliciter committuntur contra societatem civilem & tranquillitatem publicam, ut crimen homicidii, adulterii, & reliqua fere omnia, quae licet appellare delicta communia, aut committuntur contra Prin-

DE FORO LEGATORUM CAP. XVII. 135

Principem, vel Imperium ejus, ad quem missus est legatus, quae vulgo Majestatis & Perduellionis crimina audiunt. De utroque genere si solam rationem sequamur magistrum, est, quod in utramque partem disputari possit, ut in utramque partem tam de foro delicti, quam debiti, non una ratione praelusimus C. VII. De foro delicti nunc pressius agendum est. Grotius varias hac de re sententias, earumque rationes recensuit magni Operis L. II. C. 18. §. 4. & merito illam rejicit, quae a legatis non arceri vult, nisi vim injustam, nullo sic iis privilegio relicto, nam & a quocunque privato arcemus vim injustam. Alii legatum privilegiis exunt, si ipse jus Gentium laesit prius, & in hanc rem laudant benedictum Theodati ad Byzantinos Oratores apud Procopium de Bell. Goth. L. I. C. 5. *Magna quaedam*, ait, *& inclita Oratorum dignitas est,* *& apud omnes Mortales alioquin honorabilis.* Sed tamdiu id in se muneric retinent, quoad ipsi suae legationis officium servent. Ni servent, ad utrumque genus delicti poenam portigit his verbis: *nam hominem occidere, qui legatione fungatur, tunc quidem & jure pro humanis legibus licet, cum Regem videbitur contumelia affectisse, vel si cum muliere cubuerit, alteri cuiquam nupta.* Legati

gati hoc negant, sed ad rem non respondent, cum ajunt: *Orator qualiacunque a Principe, se delegante, acceperit, profert: quae si minus proba vel rectiora videntur, non ipse propterea jure est incusandus, sed, qui miserit, forte culpandus; Oratoris quippe officium est, suum cum fide ministerium exequi.* Non, inquam, ad rem respondent, nam legati non mittuntur ad contumeliam Principi dicendam, vel subiugendas aliorum uxores, & tamen id fit aliquando. Ex mandato quod agit, ad Principem mittentem & mandantem pertinet, at si delinquit, quod citra mandatum fere semper est, an legatorum privilegia amittere dicemus? Sane amittere, si seditionem moliantur, & Rempublicam turbent, etiam Ordinum Hollandiae eorumve Delegatorum sententia est apud Aitzema L. XLVI. p. m. 747. Si dicas, Jure Gentium laeso, tolli legatorum privilegium, jam ex omnibus delictis puniri poterunt, ut recte observat Grotius, nisi quae ex mero Jure Civili oriuntur. quae Hermani Kirchneri sententia est in Legatio L. II.C. I.n. 125. & seqq. Atque haec cum durior nonnullis videatur, restringunt ad crimina laesae Reipublicae, vel laesae Majestatis ejus, ad quem legatus mittitur. Et quamvis id videatur habere mag-

magnam rationem, tamen Kirchnerus, qui mox legatum subjiciebat omni poenae in quibuscunque delictis, n. 138. & seqq. excipit crimen Majestatis, quia Majestas non laeditur, nisi a subdito. Atque si legatus magis esset subditus in aliis crimibus, quam in eo, quod exceptit. Sed cum hac non successit, alia rem aggreditur via, & ait, crimen Majestatis solo fere animo committi, & Juris Civilis esse, animum punire, non Juris Gentium. Atque si, plebe forsitan concitata, effectu destitutus fuerit animus, & non in omnibus delictis, si distinguendum sit, haec distinctione pari ratione obtineret. Kirchnero tamen eadem sententia praeiverat Albericus Gentilis *de Legation.* L. II. C. 19.

Vides, quam sententiae, quam rationes discrepant. Gentilis d. C. 19. & Grotius d. §. 4. esse scribunt, qui, si res incidat, de ineundo Gentium consilio solliciti sunt. sed hoc nugari est. Ipse Grotius utilitatem poenae exigendae & utilitatem legationis, tuto obeundae, invicem committit, & quae potior sit, ex voluntate Gentium derivandum esse, recte censet, sed hoc, inquit, *ex solis exemplis evinci non potest: existant enim satis multa in utramque partem.* Recurrendum igitur tum ad Sapientum judicia, tum ad conjecturas, & mox

depromit illa judicia, illasque conjecturas, tanquam totidem sententiac suae, quam n. 5. exponit, praenuncios. Ego vero, cum de Jure Gentium sermo est, non tam testibus & conjecturis, quam exemplis crediderim. Testes, si ullibi, hic variant, & possem ex priscis & novis Annalibus adferre magnas auctoritates, quae in utramque partem stant, & victoriam tantum non dubiam reddunt. Grotius non denunciavit testimonium, nisi Livio & Sallustio, de quibus dicam, cum ad exempla Gentium per ventum erit. Quod ad conjecturas attinet, nihil illae sunt, nisi rationes, ex presumpta mente Gentium petitiae, & quibus tantum tribui non potest, ut inde jus potius aestimemus. Hoc ipsum est, quod ipse ille dicebat d. §. 4. n. 2. post varias variorum sententias recitatas: *Rationes, quas pro se quisque affirmit, nihil definite concludunt, quia jus hoc, non ut jus Naturale, ex certis rationibus certo oritur, sed ex voluntate Gentium modum accipit.* Ad judicia igitur Gentium cum maxime provocandum est, ubi quaeritur, an legatus, qui deliquit, & an in omni genere delicti, utatur praefidio Iuris Gentium? & ea judicia exemplis absolvuntur, tantaque eorum seges est, ut Iuris consultis non difficulter de re ipsa pronun-

DE FORO LEGATORUM CAP. XVII. 139

nunciari videatur posse, praetermissio etiam omni reliquo leveis armaturae apparatu.

Ex his igitur solis, quantum sufficit ad probandum consensum, atque adeo Jus Gentium, opinor effici posse, legatum ex nullo delicto, in loco legationis accusari vel puniri oportere, sed rem esse transfigendam his cautionibus, quas Grotius d. §. 4. n. 5. & 6. praescribit: *Si, inquit, tale sit delictum, quod contemni posse videatur, aut dissimilandum erit, aut e finibus jubendus excedere legatus.* *Si crimen sit atrocius, & ad publicum malum spectans, mittendus erit legatus ad eum, qui misit, cum postulato, ut eum puniat aut dedat.* Permittit etiam d. n. 6: *ut obviam eatur imminenti periculo, si nulla alia est ratio idonea, & retineri, & interrogari legatos posse.* Non dubitamus hic Grotium praeeuntem sequi, nisi quod etiam in gravioribus delictis solam expulsionem legati preferamus, &, dum exspectamus exempla Gentium, quae *Caput sequens* suggerit, credamus etiam rationes, quae hanc sententiam suadent, esse aequiores meliores. Utilitatem legationis utilitati poenae praefert Grotius, & recte, quia poena etiam per eum haberi potest, qui legatum misit, quin & ab eo peti, & si res tanti sit, bello exigi. Si vero legatum permittas carceri & poe-

nae ejus, apud quem degit, mox in legato delinquentे intercidit omnis legationis utilitas, &c, quamvis non deliquerit, vel maxime eum exponis promiscuis accusacionibus: nam, ut optime subjungit Grotius, cum plerumque diversa, saepe & adversa sint consilia eorum, qui mittunt legatos, & qui accipiunt, vix est, ut non semper aliquid in legatum dici possit, quod criminis accipiat speciem. Nescio, cur in hac quaestione Principes, qui legatos miserunt, monstra esse hominum putemus, qui legatos, poenam meritos, magis impunitos transmittere vellent, quam vellent ii ipsi, apud quos legatione funguntur. Fateor; si forte ex mandato consilia ceperint contra Rempublicam, ubi degunt, non sibi metuendum esse a Principibus suis, sed vel in hac specie, si quid ex iniquo habeat magnum exemplum, utilitate publica satis repensum erit.

Princeps ratio, quae Grotium movit, etiam me movet, legatum nempe, ex unanimi consensu Gentium, non censeri subditum ejus, apud quem legationem obit, sed cum & supra eam rationem prolixe exsequuti simus, non est, ut de ea amplius dicamus. Neque obest ea ipsa ratio, quominus legatum, si quid deliquerit, etsi puniri nequeat, jubeamus ta-

DE FORO LEGATORUM CAP. XVII. 141

men excedere vel Aula, vel Imperio nostro, quia haec interdictio non tam poena est, quam sola defensio, ne ultra nobis vel rebus nostris noceat, & defensionem contra legatos licitam esse nemo negavit unquam. Unde interdictionem damus, cui neque jurisdictione, neque ullius poenae constituendae jus est, ut de Rationali scribit Callistratus in l. 3. §. 1. ff. de Offic. Procur. Caesar. Ut non quosvis legatos tenemur accipere, sic nec quosvis retinere, non turpius ejicitur, quam non admittitur, qui ipse ejiciendi causam praebuit, dum apud nos versatur; sola ea ratio superest, ut nostrae saluti, legatorum dignitati consulamus. Et si cuilibet Patrifamilias in domu sua liceat homines habere, vel non habere, ut libuerit, quidni idem largiamur Principi in Imperio suo, & id largiendum esse, nemo dubitabit, qui mores Gentium in hanc rem exploraverit.

C A P. XVIII.

De moribus Gentium quod ad forum legatorum in criminibus.

Quia Grotii sententiam de foro legatum in criminibus, tantum non nostram

stram fecimus, cum maxime interest, ut hanc usu Gentium probemus. Sed prius amoliamur aliquot praejudicia, quae huc vulgo transferuntur, & tamen huc non pertinent. Qui de legatis & legationibus scripsere, prolixo depraedicata legatorum sanctitate ex Jure Gentium, mox ad eos transeunt, qui spreto illo jure, legatos, etiam mandata sua explicantes, vinculis, verberibus, & morte ipsa multarunt. Saepe Princeps, plenus irarum calidaeque rixae, in legatos irruit, & eorum sanguine explevit vindictam, quam aperto Marte sumere non poterat. Si recenserem Gentes, cum barbaras, tum etiam moratores, quae tale quid nonnunquam ausae sunt, multa scribenda & describenda essent, nihil quicquam profutura ad rem praesentem. Omnes consentiunt, legatis male habitis, vel ob odium Principis, qui misit, vel ob explicata ejus mandata, quamvis acerbiora, violari jus Societatis humanis, quod ex pactis tacitis inducitur. Sed eo non pertinent crimina, quae legatus extra causam legationis commisit, ut nec pertinet quaestio, an ea crimina ipse Princeps, ad quem missus est legatus, manu Regia, an per judices suos punire possit.

Quemadmodum igitur haec exempla transi-

transimus, sic & transeamus ea, quibus manu repulsus & coercitus legatus, qui manu agebat, nam & hanc speciem hinc rejecimus C. praeced. & eandem ob causam Imperator Germanorum rejecit querelas de arresto Principis Furstembergii, quamvis revera legatus fuisset, quo de tantopere turbatum est, vide *Hollandsche Mercur.* Anni 1674. p. 62. & 63. & Wicquefortium variis locis; sed prolixior est haec causa, quam ut de ejus jure vel injuria hic statuamus, & plurima ibi inciderunt, quae ad Disputationem nostram non pertinent. Anno 1658. Hafnia obsessa cum Sueciae legatus, qui ibi erat apud Daniae Regem, arma parare, iisque homines suos induere dicentur, in loco publico militari custodiae datus est, ut refert Aitzema L. XXXVIII. p. m. 100. sed & haec species defensionis fuit, ad propulsandam vim injustam imminenti periculo.

His omnibus rejectis, fatendum tamen est, exstare judicia in legatos eorumve comites exercita ab his, apud quos agebant & delinquebant. De Pelopida Nepos in ejus vita haec retulit: *Quum Thessaliam in potestatem Thebanorum cuperet redigere, legationisque jure satis tutum se arbitraretur, quod apud omnes Gentes sanctum esse consuetum, a Tyranno Alexandro Pheraco, simul cum*

cum Ismenia comprehensus, in vincula con-
jectus est. At Pelopidas duntaxat in vin-
cula ductus, non etiam punitus fuit, ut
apparet ex iis, quae mox addit Nepos.
Sed vis exemplum poenae? illustre habet
Livius L. XXV. C. 7. de Philea Taren-
tino, qui, cum legatus Romae esset, ob-
sides Tarentinos, corruptis aedituis duo-
bus, custodia eduxit, & comes itineris fa-
ctus cum his profugit, sed a fuga retracti
& deducti, inquit, in comitio, virgisque,
approbante Populo, caesi, de saxo dejiciuntur.
Atrocitatem ejus rei excusat Grotius da
Jure B. & P. L. II. C. 18. §. 4. n. 5. ex-
cusant alii, quod Tarentini victi sub Ro-
manis esse coepissent, vel potius, quod
eorum Urbs praesidio Romanorum tene-
retur; sed dubito, an recte, cum Phi-
leas Tarentinus, qua legatus, Romae e-
gerit, &, cum egerit, jus legationis ei-
sartum teatum esse oportuerit. De co-
mite legationis, qui insidias paraverat,
Sallustius Bell. Jugurth. C. 35. ita infit:
Fit reus magis ex aequo bonoque, quam ex
Jure Gentium Bomilcar, comes ejus, qui
Roman fide publica venerat. Vides, factum
fuisse reum, nam quod Sallustius superdi-
cit, ex aequo & bono magis, quam ex Jure
Gentium id aestimandum, rem ipsam non
mutat, sed ostendit, Sallustio ita visum,

& quamvis religio Juris Gentium Bomilcarem dimittendum suaderet, id tamen displicuisse ex aequo & bono, quod homines, praesertim juris imperitiores, sibi singunt, & hic fingebant, quodque videbatur flagitare, ut, sine ullo personarum discrimine, delictum poena comes sequatur. Sic explicandus est locus Sallustii, quem Interpretes plerique pessime habent.

Etiam recentior aetas exempla suppeditat. Paulus IV. Pontifex Maximus Garcilassum Vegam, Regis Hispaniarum legatum, quod Romae res novas moliretur, in carcerem conjectit, & ad Ducem Albanum, de eo conquerentem, ita respondit: *Si Vega intra mandati fines & legati munus se continuisset, nihil damni passurum, sed cum consiliorum, seditionum, machinationum clam in eum Principem, ad quem fuerat missus, initarum particeps sit, tanquam privatum improbe egisse, atque ut tam supplicium meruisse, quemadmodum haec narrat Paulus Sarpius Histor. Concil. Trident. L. V. p. m. 364. & 365. sed substituit ea res intra solam custodiam, qua post dimissus est. Alii Principes ultra progressi sunt. Regis Persarum legati, quod lascivius egissent, inter sacra mensae, in Macedonia trucidati.* In Lusitania

nia legatus, quod adulterium commisisset, ultimo suppicio affectus. Mediolani Galiae legatus, ob homicidium perpetratum, capite punitus, ut ex idoneis auctoribus haec omnia retulit Kirchnerus in *Legato L. II. C. I. n. 115.* & seqq. quamvis in primo exemplo tumultuaria poena magis exacta fuerit, quam servatus judiciorum ordo, & in tertio non defuerint rationes dubitandi, an pro legato habendus fuisset, qui capite poenas luit. Rationes dubitandi habet Wicquefort dans ses Mémoires p. m. 47. & seqq. Legatum Venerum, adulterii réum, Mediolani quoque capite plexum narrat Gentilis de *Legatione L. II. C. 17.* Aliud exemplum legati, qui rebellionem concitarat, puniti habet Telsmarus ad Grotium de *Jure B. & P. L. II. C. 18. §. 4. n. 1.* Frater legati Lusitani Londini hominem occidit, & fugit in domum fratris, in cuius comitatu erat, sed Cromwel, Angliae Protector, eum extraxit, & securi percussit, vide Aitzema *L. XXXIV. p. 75. & 132.* & *Hollandsche Mercur. Anni 1674. p. 62. & 63.* quod damnat Wicquefort majoris Operis *L. I. Sect. 28. p. 885. & 886.* Nec minus damnat, quod sibi accidit Anno 1675. cum Hagae Batavorum esset Ducis Luneburgensis legatus, & simul in fide Ordinum

num Generalium, *in den eed van secretesse*, nam cum pro pecunia consilia publica cum amicis, aut certe nondum hostibus communicasset, Curia Hollandiae eum damnavit, ut supra dixi C. XI. sed, ut ibi observabam, ante legationem hic habita- verat, qua subditus, nec subditi conditio- nem mutaverat.

Sic punita vides crimina legatorum & communia, & turbatae Reipublicae, & quamvis forte disputari posset, esse in his exemplis facta quaedam dubia, quae ad hanc de foro quaestionem non pertinent, largiamur tamen, omnia pertinere, quin & plura forte addi posse, sed ne inde efficiamus, his exemplis Jus Gentium induci. Utique nemo negat, contra Jus Gentium committere, qui legatos violaverit, & nihilominus constat, plurimas Gentes legatos violasse, sed id ipsis fuit opprobrio, ut sunt, qui opprobrio duxerunt illa ipsa, quae recensui, poenarum exempla. Hoc ausim adfirmare, exempla, quae in ad- versam partem proferuntur, sive numeremus, sive ponderemus, semper & ubique vincere, & vicisse etiam apud illas Gentes, quae alias impetu abreptae puni- verant legatos. Populus Romanus, ipsa infantia sua, nobili exemplo praeivit; nam cum legati Tarquinii, jam ejecti, Ro-

mae aliud agerent, aliud simularent, & non tam de recuperandis bonis Tarquinii, quam ipso Tarquinio reducendo consilia inivissent, & juventutem Romanam concitassent, *proditoribus*, inquit Livius *L. II. C. 4.* *extemplo in vincula conjectis*, de legatis paululum addubitatum est, & quamquam visi sunt commissi, ut hostium loco essent, *jus tamen Gentium valuit*. Nemo, in hoc argumento versatus, hoc exemplum praetermisit, nec praetermitti debuit ob atrocitatem delicti. Majores suos, ita praeēuntes, posteri Romani tantum non semper sequuti sunt. Grotius *de Jure B. & P. L. II. C. 18. §. 4. n. 5.* ex Polybio recitat exemplum legati, Roma abire jussi, quod obsidibus fugiendi causam praebuisset; quod crimen alias imprudenter Romani in legato Tarentino morte multaverant. Kirchnerus minus recte duas has species confudit. In *Notis* habet Grotius aliud exemplum de Carthaginiensium legatis, qui Romae contumeliose egerant, Romae non punitis, at Carthaginem remissis. De Scipione Africano, qui legatum, ut ut pessime meritum, dimisit & simpliciter abire jussit, ex Appiano Alexandrino exemplum suppeditat Antonius de Vera *en son parfait Ambassadeur L. I. C. 41.* Etiam alias Romanis

manis solemne fuisse, jubere legatos Urbe & Italia excedere, disco ex Polybii *Excerpt. legation. n. 68.* Nec aliter aliae Gentes sapuerunt. Lampsaceni Verrem, quamvis virginis vim intulisset, dimiserunt, quia legatus erat, idque ex consilio Romanorum, qui apud eos mercaturaे causa haerabant, quiq[ue] putabant, levius peccatum fore, si homini scelerato pepercissent, quam si legato non pepercissent, ut Cicero retulit *Orat. 3. in Verr.* Demochares, Atheniensium legatus, Regi Philippo, ad quem missus erat, interroganti, ecqua re Atheniensibus prodesse posset, potes, respondit, si te suspenderis. Dignam dices laqueo responcionem, sed Philippus, Juris Gentium memor, hominem impunitum dimisit, ut haec & alia legatorum contumeliose dicta, & impune transmissa, commemorat Kirchnerus *in legato L. II. C. I. n. 198. & seqq.* Sed & Tesmarus ad Grotii *L. II. C. 18. §. 4. n. 5.* ex veteri & recentiori memoria plures legatos recenset, haud aliter multatos, quam ut finibus Imperii jussi sint excedere.

Novi aevi exempla de legatis, qui varie deliquerant, non punitis, tot ubique in Annalibus occurrunt, ut ipsa copia laboremus. Saepe dissimulata sunt crimi-

na; saepe transmissi ad Principem suum legati, ut punirentur; sed ut plurimum simpliciter abire jussi. Fit illa interdictio, etiam non consulto, nec consentiente Principe, qui misit, quamvis ratio interdictionis aliquando per literas reddatur, & hoc expedit, si pacem illaesam volumus. Grotius in *Not. ad d. n. 5.* ex Thuano refert exemplum ejusmodi interdictionis in Stephano, Poloniae Rege, quod ad legatos Moschos, & duo alia in Elisabetha, Angliae Regina, alterum quod ad legatum Scotum, alterum quod ad Hispanum, qui apud se factiones suscitaverant. Scotus erat Joannes Leslaeus, Episcopus Rossensis, legatus Mariae, Scotiae Reginae, de cuius judicio & poena prolixe disputatum est, sed demum post carcerem biennii, simpliciter ex Anglia excedere jussus, vid. Camdenum *Annal. Engl. ad Annum 1571. p. m. 201-203.* & *ad Annum 1573. p. m. 241.* Hispanus erat Bernardinus Mendoza, cuius interdictionem tamen Rex Hispaniae aegerrime tulit, vide illum ipsum Camdenum *ad Annum 1584. p. m. 355. & 356.* Quin & cum Galliae legatus vitae Elisabethae, Angliae Reginae, esset insidiatus, & no-
luisse in fraudem Regis sui, & legatorum praejudicium accusationem quamcumque audire, leni-

leniter non nihil increpatus, caetera impune tulit, ut lego apud eundem Camdenum ad Annum 1587. p. m. 449. & 450. Et cum Maria, Scotiae Regina, ad mortem esset damnata, erant, qui cum ea durius actum existimabant: *quod in Majestatem peccare non potuisset, quia subdita non fuerat, & quod legati, Principum ministri, si in Reges, apud quos legatione funguntur, conjuraverint, Majestatis crimine non teneantur, multo minus ipsi Principes.* Defendebant igitur Reginam ad exemplum legatorum, quam recte, nunc non disputo. Angli etiam haud ita pridem Sueciae legatum, qui in perniciem suam consiprasse dicebatur, navi impositum, ad Regem suum remiserunt. Alia solius interdictionis exempla alii retulerunt. De Friderico I. Imperatore, quod ad Pontificios legatos, Kirchnerus d. L. II. C. I. n. 138. De Venetis, quod ad legatos Francicum & Hispanum, ipse ille Kirchnerus n. 175. & 176. Sed quid moror in partes advocare commune legatorum asylum, Abrahamum Wicquefortium, qui ex professo id egit majoris Operis L. I. C. 27. 28. & 29. ut legatos, sive Rempublicam turbaverint, sive aliud commune delictum commiserint, absolvat a jurisdictione ejus, apud quem legati sunt. Hanc sententiam,

ut par est, exemplis defendit, & fere solis exemplis, ex recentiori aevo petitis, veteris enim non usque adeo gnarus erat. Si omnes rationes, quae eo pertinent, attulisset, ego potuisssem hac opera superseedere; egregias tamen, in enumerandis exemplis, suppetias tulit, vellem modo laudasset auctores, quorum fide narrat, quae narravit, ne forte sit, qui ei fidem abroget, ut ipse abrogavit Antonio de Vera, scriptori Hispano, in re Hispanica, *en son Ambassadeur L. I. Sect. 29. princ.* Sed auctorem suum laudare, quamvis & in aliis id Jus Civile desideret, fere hodie censetur supervacui laboris. Ex Francia ille mos invaluit, & apud eos, qui Gallice scribunt, altos radices egit, quin & alios contagio quodam infecit. Sed ego nolim Wicquefortium testem refutare, cum repererim, plurima exempla, quae ipse adfert, revera in Annalibus existare, & de paucis aliis ipse securus sim. Lege haec omnia (nam ego nolim describere) confer cum his, quae ipse dixi, & adhuc dubita, quae sit dicenda consuetudia Gentium. Imo vero non dubitabis, sed palam affirmabis, tacito Populorum consensu placuisse, ne legatos, ut ut poenam meritos, ipsi puniamus, sed Princeps, qui misit.

C A P. XIX.

Rursus de exemplis, ex usu Gentium, & quae contra dici possint.

Grotius de Jure B. & P. L. II. C. 18. §. 4. n. 6. ut obviam eatur imminentia periculo, putat, legatos & retineri, & interrogari posse. quod plus est, quam Aula, Urbe, vel Imperio interdicere. Adsentior, si res urgeat; & usus Gentium hoc probat. Quod ipse ait de legatis Tarquinii comprehensis, ex Livio non satis mihi liquet, sed si liqueret, non improbarem. In seditione concitata res saepe moram non fert, & auctores, ne serpat malum, quam primum sollicite custodiendi, ut Episcopus Rossensis, ut alii, quos memoravimus, quam primum custoditi, sed post dimissi sunt. Henricus IV. Franciae Rex, Juris Gentium fuit peritissimus, & simul tenacissimus. Cum is scribam legati Hispanici, hostilia molientem, detinuisse, ad querelas legati respondit, ipsos etiam legatos in ea specie detineri posse. Reddidit deinde scribam legato, sed ea lege, ut quantocyus eum juberet Imperio excedere. Duos alias,

ejusdem criminis reos, at sibi non subditos, idem Franciae Rex, postquam interrogasset, cum Notoriis, ut vocant, ad Principem suum remisit, quemadmodum hoc tradit Wicquefort *en son Ambassadeur L. I. Sect. 27. p. m. 828.*

Consultius est, si res moram ferat, Principem rogare, ut is legatum, si deliquerit, domum revocare velit, sed id semper prius esse rogandum (ut Philippus II. Hispaniarum Rex contendebat, cum de ejus legato Mendoza ageretur) priusquam Imperio interdicatur, nec rationem, nec auctoritatem habet ullam. Huic sententiae recte contradixit Wicquefort *L. I. Sect. 29. p. 903. & 904.* Elisabetham, Angliae Reginam, defendens adversus Philippi II. querelas, ut ut alias eadem Elisabetha eidem Philippo denunciaverit, legatum suum, sibi noxiū, revocare vellet, ut est apud Wicquefort *d. Sect. 29. p. 909. & 910.* ratione magis humanitatis, quam juris. Ordines Foederati Belgii legatum Lusitanum abire jusserrunt, & pro legato amplius habere detrectarunt. Hic respondet, posse quidem eos hoc in Imperio suo, sed non sine bello, Aitzema *L. XXXI. p. m. 505. & 506.* perperam. Cromwel, Angliae Protector, illacsa pace, Franciae legatum, qui aduersus

versus se conspiraverat, intra 24. horas ex Anglia jussit excedere, ut lego apud Aitzema *L. XXXIV. p. m. 125.* Veneti quidem, pro prudentia sua, Regem Hispaniarum rogarunt, uti legatum, qui Republicam suam turbaverat, domum revo-care vellet, Wicquefort *d. C. 27. p. 828. & 829.* & sic Ordines Generales quod ad Sueciae legatum Anno 1657. Aitzema *L. XXXVII. p. m. 1020.* sed usū id non semper servari, neque necessarium esse, docent exempla apud Aitzema *L. XXXIX. p. m. 642. L. XL I. p. m. 294. L. XL II. p. m. 340. & L. XLVII. p. m. 673.* Huc per-tinet contentio, quae inter Regem Hispaniarum ex una, & Regem Angliae & Ordines Generales ex altera parte Annis 1695. & 1696. agitata est. Is qui absente Regis Angliae & Ordinum legato, eorum res agebat apud Hispaniarum Regem, homo, si verum fama susurrat, vilissimus, co-tumeliosos libellos Regi Hispaniarum por-rexerat. Rex eum Madrito excedere jus-sit, & contumacem Praefectus Urbis ma-nu Madrito eduxit. Queritur ille ad Regem Angliae & Ordines. Rex Hispanum legatum, qui Londini erat, etiam statim Urbe ejiciendum censuit, sed qui ade-rant, hunc impetum mitigarunt. Dein-de Rex & Ordines ad Regem Hispania-rum

rum scripsere, satisfaceret sibi de injuria, res suas agenti facta; sin autem, & se e-
jus legatos statim ejecturos. minus con-
sulta, ut mihi videtur, Juris Gentium
prudentia. Sed tandem convenisse rela-
tum, actorem rursus in Urbem admitte-
ret Hispaniarum Rex, deinde eum revo-
carent domum, ut revocarunt, Rex An-
gliae & Ordines.

Caeterum nec desunt alii modi, quibus
legati, cum legibus non teneantur, neque
iis volentes pareant, commodum coérce-
ri vel deterrei possunt. Nostra memoria
Prorex Neapolitanus praecipuum quem-
dam ex familia Nuncii Pontificis Maximi
false ludibrio exposuit. Officiales eum,
in prostibulo deprehensum, ad omnes Ju-
dices ducunt, ut puniretur: quibus rei
gnaris, nihilque, nisi sibi in eum jurisdic-
tionem non esse, dicentibus, hominem
dimittunt. Nuncio de hac infamia suo
homini, per cuncta tribunalia transducto,
conquerente, Neapolitanus Prorex hanc
póenam Officialibus constituit, ut & ipsi
per Urbem deducerentur, hoc superdicto:
poenae causa ita eos transduci, quod illum
Titium vel Sempronium, ex comitatu
Nuncii, scortari non siverant. Fere con-
venit, quod de Chiis refert Plutarchus
Apopktem. Lacon. p. m. 405. cum nempe
Spare

Spartam venissent, & post coenam sellas Ephorum vomitu & oleto replessent, hos edixisse, Chiis permisum esse turpiter agere. Aelianus *Viar. Histor. L. II.* C. 15. de Clazomeniis id ipsum tradit, nisi alia historia sit dicenda, cum sellas hi *ασφόλω*, fuligine respersisse dicantur, sed idem per praecomenum proclamatum est, scilicet, *ἴξετω Κλαζομενῶις ασφημονεῖν*, liceat Clazomeniis indecora facere.

Verum haec remedia valde extra ordinem adhibentur, nec semper citra maiorem indignitatem, vel belli metum successerint. Tutius est solam interdictionem sequi ex recepta Gentium consuetudine. Sed quid receptam dico, si tota Gens Hispana contradicat? Memoriae nempe prodidit Antonius de Vera en son parfait Ambassadeur L. I. C. 43. Madriti ex aedibus legati Veneti, vi & vi armata resistentis, facinorosos quosdam esse extractos & damnatos, gratiam quidem criminis deinde esse factam damnatis, iis simpliciter Regno excedere jussis, sed Regem Hispaniarum ea occasione literas dedisse ad omnes Principes Christianos, quibus sibi placere significavit, ut, si legati sui penes eos delinquerent, cecidisse viderentur privilegiis suis, & judicarentur secundum leges Imperii, ubi essent. Qui id tradat,

dat, praeter Veram, neminem esse, atque adeo Veram verum non dicere, suspicatur Wicquefort eo loco, quem *Cap. praeced. in fn.* indicabam. Quid ejus rei sit, ipse non dixerim, & fidem quoque penes auctorem esse velim, quamvis & id ipsum memoriae prodiderit Fredericus de Marselaer in *Legato L. II. Dissert. 13.* Sed una unius Regis sententia, semel proleta, non efficit Jus Gentium. Quin alias ipsi Hispani, cum durius egissent adversus legatum Franciae, ejusve comites, quos captivos habebant, ope consilio Pontificis Maximi vix a bello liberati, jure dicundo tamen supercederunt, dimiseruntque captivos, ut habet Wicquefort *L. I. Solt. 28. p. 883. & seqq.* Plurimi etiam Principes contra Regis Hispaniarum legatos, male meritos, sola interdictione usi sunt, punitione procul dubio usuri, si vel Hispani aliarum Gentium legatos ipsi punirent, vel punitionis veniam dedissent.

Bellissime quaeri potest, si de illa Hispanorum contra legatos sententia plena fide constaret, quo jure haec esset habenda? res inde pendet, an qua Gens privilegia legatorum, quibus utuntur ex jure communi Gentium, possit tollere? & punto, posse tollere, si palam id testetur, quia nullo jure competit, nisi tacito & *prae-*

praesumpto. Gens Gentem non obligat, nec vel omnes Gentes obligant aliam, licet solam, quae sui juris est, & aliis legibus uti decrevit. Hugo quoque Grotius, magnus pro legatorum immunitate patronus, ea privilegia refert ad pactionem tacitam ejus, qui legatum recipit, & hanc voluntatis esse certissimum est. Legatum posse etiam prorsus non admitti constat, & rursum admitti posse certis legibus, ex voluntate ejus, qui recipit, definiendis. Si qua Gens igitur noluerit legatum recipere, nisi foro suo se subjiciat, subsistet legatio ea lege, nec quicquam est, cur non etiam legatio citra illam immunitatem fori possit subsistere. Verissimum tamen est, quod Hollandiae Ordines ajunt in eo libello, quem Anno 1651. ediderunt, & inscripserunt *waragtig en nodig berigt &c.* (apud Aitzema *Herstelde Leeuw p.m. 617.*) legatum, etiamsi deliquerit, ex Jure Gentium detineri non posse, id enim ut servemus, aequitas exigit, si non contraria obnunciatione tollatur. Jus Gentium nihil est, nisi praesumptio secundum consuetudinem, nec quicquam valet praesumptio, ubi expressa est voluntas ejus, de quo agitur. Praescriptione legatos jussum quaerere vel tueri non posse existimat Huberus de *Jure Civitatis L. III. Sect.*

4. C. 2. n. 32. sed id restringit ad subditos Principis, qui, invito Principe, jure a syli uti velint apud legatos. Ego generliter verum dixerim de omni privilegio legatorum, id nempe non prodesse, si contraria accesserit contestatio, quia voluntas expresa tacitam excludit, nec ullum, ut dixi, jus Gentium est, nisi inter voluntates ex pacto tacito.

C A P. XX.

Si quis e familia legati delinquisse dicetur.

Qui ad comitatum familiamve legati pertinent, ejus forum fortiri, satis videor probasse C. XV. In causa criminali non minus id verum est, quam in causa civili; quare eos nec accusat, nec punit Magistratus loci, ubi degunt. Si comites quandoque rei facti, si in eos animadversum, etiam gladio, si alias jurisdictione exercita, vel adrogata, ut exempla attulimus d. C. XV. & C. XVIII. id, quod ad forum, eo jure factum puta, quod Praetor reddere dicitur, etiam si iniuste decernat. Grotius de Jure B. & P. L. II. C. 18. §. 8. comites legatorum etiam foro ordinario exemit, & ex Pausania ostendit, Romanos putasse, Jus Gentium laedi,

laedi, si vi abstrahantur. Quin & interprae-
cipuas belli causas id aliquando relatum
esse Tesmarus ex Camdeno observat
ad d. loc. Vult igitur Grotius, a legato
postulandum, ut comites, si deliquerint,
dedantur, & si dedere nolit, ea esse facien-
da, quae de ipso legato praescripserat.
Sane legatus suos homines dedere potest,
quia ipse illos assumit dimittitque pro ar-
bitrio; quod si alterius conditionis sint,
ab ipso forte Principe lecti, ut est scriba
legationis, dedere non potest. Saepe etiam
legati homines, qui mere erant arbitrii sui,
Magistratui dediderunt, ne occcasio sit
majoris tumultus faciendi, & quia illa oc-
casio cum maxime est, ubi legati conve-
niunt ad pacem pangendam, si tanta eo-
rum hominum multitudo, si non impun-
ne se delinquere, utique a praesenti poe-
na se immunem crederet, saepe solent le-
gati invicem pacisci, ut homines sui sint
subditi foro Magistratus ejus, ubi de pa-
ce agendum est. Sic Monasterii, sic Neo-
magi factum refert Wicquefort *L. I. Sect.*
28. p. 893. & 894. & saepe alias id obser-
vatum memini.

Si nihil tale convenerit, nulla Magi-
stratus in eos erit jurisdictio; neque adeo
dubitandum est, quin recte Hispaniarum
Rex prohibuerit, ne vel apprehendere li-
ceret

ceret homines legati Veneti, qui duos Hispanos occidissent, ut est apud Wicquefort *d. Sect. 28. p. 885.* Imo, si apprehensi essent ejusmodi homines ab Officialibus, in flagranti forte delicto, recte eos legatus repetet, & varia ejus rei exempla exstant. Legati Franciae famulus Hagae Batavorum noctu vim fecerat mulieri, & captus erat; petiit legatus, eum sibi tradi, ut ipse jus diceret, & Ordinum Hollandiae Consiliarii Anno 1657. tradiderunt, vid. Aitzema *L. XXXVII. p. m. 791.* & Wicquefort *d.p. 885.* & de aliis *p. 883.* & *884.*

Recte deditus est ille famulus legato Franciae, sed an ipse de eo jus dicere potuerit, alia quaestio est, de qua dicere occupavi *d. C. XV.* Franci ita fere censem. *In capitalibus causis legati per se in suos judicia ferre soliti sunt,* ait Mornacius ad *l. 2. §. 3. ff. de Judic.* & exempla quaedam poenae, a legatis Francicis exactae refert, etiam apud Turcarum Imperatorem, qui id passus est, quia, ut mox audies, etiam Turcarum legati solent ipsi poenas exigere a suis hominibus. Sed omnino ea res est transigenda iis distinctionibus, quas recensui *d. C. XV.* Si legatus jurisdictionem habeat ab eo, qui misit, & consentiat is, ad quem missus est,

poe-

poenam jure optimo exiget; si alterutrum
 deficiat, non exiget. Jure legati nihil
 potest agere, nisi ex mandato, & manda-
 to non solet ei dari jurisdictione in homines
 suos, quin, si data fuerit, non recte hanc
 exercebit in Imperio alterius Principis,
 invito eo Principe. Poterit autem, ne
 impune effugiant rei, eos vincire, & vin-
 ctos transmittere ad forum suum. Fami-
 liae vinciendae potestatem vulgo Cardi-
 nalibus tribuunt apud Clarum *L. V.* §.
Fin. Q. 68. n. 32. & nisi hanc tribuas le-
 gatis, frustra de poena ab hominibus ejus
 exigenda cogitabis. Ipse legatus modice
 suos castigabat, si res majorem animad-
 versionem desideret, vel dedet Magistra-
 tui non suo, vel, si ita videatur, vin-
 ctos remittet ad Magistratum suum. Scio
 aegerrime accepisse Pontificem, quod le-
 gatus Imperatoris Germanorum haud ita
 pridem Romae quemdam ex suis homi-
 nibus, ipsum legatum ejusque filiam neca-
 re voluisse suspectum, domi suae vincitum
 detinuerit; atque si carcerem privatum
 exercuisset. Sed si Magistratus nec de-
 linquentem apprehendere, nec legatus cu-
 stodire posse, ut scilicet deinceps tradat
 puniendum, jam actum est de omni poe-
 na, & familia legati vitae, bonis, existi-
 mationi civium nostrorum tuto insultabit.

Cardinalis Bulloniensis, Regis Franciae ad Pontificem legatus, Anno 1699. alterius famulum, quem dominā ei tradiderat, ut exquireret de auctore injuriae cuiusdam, cum ex Cardinalis arbitrio non responderet, aliquamdiu domi suae captivum habuit. Quo non immerito Pontificis auctoritatem laesam opinati sunt Juris Publici Consulti, duplii de causa, altera, quod id ausus fuisset in hominem non suum, altera, quod in delicto; quod ad legationem non pertinebat, cum ipse legatus, qua Cardinalis, tum ejus homines Papae fuerint subditi, atque adeo Romae, ubi erant, judicandi. Utque ipse id improbo, sic probo factum legati Hispanici, Emanuelis de Lira, qui apud Ordines Foederati Belgii legationem praecellere obivit. Cum quidam ejus famulus puerilam quamdam ex legati Domesticis, qui vocantur, Hagae in domo legati, vi constuprare aggressus esset, legatus hominem vincitum in Hispaniam misit, ut ibi puniretur & remis daretur. Et sic oportebat; nec ab ea Jurisprudentia recessit ipse Wicquefort *d. Seet. 28. p. 889. & 890.* nisi quod imprudenter addat, legati tamen jurisdictionem esse in homines, quos sibi adscivit ex subditis nostris, sed hos ab aliis nihil quicquam differre *Cap. XV.* exsequenti sumus.

DE FORO LEGATORUM CAP. XX. 165

Saepissime tamen legati contra homines suos sententiam dixerunt. Apud Wicquefort *d. Sect. 28. p. 886. & 887.* legatus Francicus apud Anglos capit is sententiam dixit contra comitem suum, homicidii reum, sed Angliae Rex gratiam criminis fecit. Probavit id factum Henricus IV. Franciae Rex, sed indignante Consilio suo, quod Regis Anglici esse non putabat, ejus criminis gratiam facere. Et ipse puto, id certissimum esse, si de jure quaeramus, quia comes ille subditus erat Regis Franciae, & subditus manserat, etiam in Anglia. Jurisdictio quoque erat exercita a legato, sed nullo jure, nisi postquam hanc Rex habuerat ratam. Legimus quoque, Turcicum legatum Anno 1700. Viennae quemdam ex familia sua, qui cum aliis ejusdem familiae se inebriarat, multaque insolenter egerat, ante aedes suas ex arbore, appensis pectori lagenis, suspendisse, & caeteros 50. fustium ictibus multasse. Alia legatorum in homines suos exercita judicia recenset Jean Hotman *en son Traité de l' Ambassadeur C. 4. n. 14.* & alia etiam alii. Sed haec, & duo adhuc alia, quae Mornacius attulit, exempla non me moverint, ut inde jus Gentium aestimemus. Huberus *de Jure Civitatis L. III. Sect. 4. C. 2. n. 30.* ex eo,

quod comites legatorum exempti sunt eorum, ad quos mittuntur potestate, *parum abest*, inquit, *quin iurisdictio legatis in comites suos tribui possit*, sed mox respiscit, modicam duntaxat legatis tribuens coercitionem, ad exemplum patrisfamilias, caetera, & recte, contendens, alegando esse comites, ut puniantur, ad Principem legati, sive, ut ego malim, ad fororum legati, quod ipse ante suscepit legationem habuit. Et sane id jus facile vincet, sive rationem, sive mores Gentium consideremus. Cum enim omnis iurisdictio sit a Principe, nemo, cui non mandaverit, hanc recte exercet, & cedo mihi legatos, quorum mandatis id continetur, &, si vel contineretur, cedo mihi plurium populorum consensum, qui legatos, quibus neque imperii, neque territorii ullum jus est, scientes volentes passi sunt homines suos intra privatos parietes trucidare, vel exstruere ferale pegma ante aedes suas, vel alibi in loco publico, in quo de his supplicia sumant, vel per suos, vel conducta ad id carnificis opera. Refragantur etiam mores, dummodo paucos excipias, ex quibus jus Gentium efficeret non licet.

Carolus Paschalius in Legato C. 76. singulari loco egit, an legatus habeat iurisdictio-

tionem in suam familiam? ille legatis non permittit ergastula, neque vincula & compedes, multoque minus carnificem & laqueum. Ego vincula & compedes permitto, ut homines suos custodiant & transmittant, non ut puniant temporali vel perpetuo carcere. Ille mox distinguit inter maiores & minores legatos, illis largiens potestatem in suos, aequalem priscae, quae fuit civili ac regali imperio praedita, his non item. Ego inter legatos, nisi mandata differant, hac parte non distinguo, nec, sine auctoritate, admitto illud incertae & ambiguae orationis imperium. Major in Paschale est eruditonis apparatus, & pompa verborum, quam apposita ad rem disputatio, & judicii bene subacti pondus. Quamvis autem comites ad forum legati pertineant, non tamen eo pertinent subditi nostri, qui adversus legatum, ejusve homines deliquisse dicuntur. Forum ejus, qui deliquit, inspicimus; nec adhuc potui animadvertere, quo jure contradixerint Franci apud Aitzema L. VI. p. m. 98. nisi forte jure antiquo deditonis, quo hodie tamen Gentes non utuntur.

C A P. XXI.

Aedes legati an praebent asylum?

Tam de domu legati videamus. Recte Grotius dixit magni Operis L. II. C. 18. §. 8. an ius Asyli habeat legatus pro quibusvis, eo confugientibus, ex concessione pendere ejus, apud quem agit, neque enim Juris Gentium esse. Legatus, comites legati sancti sunt, sed an & dominus sancta? imo sancta, inquit Wicquefort L. I. Sect. 28. p. 875. sed soli legato ejusque comitibus, facinorosis dominum legati non prodesse, quia subditos Principis, apud quem degit, nullo jure ejus jurisdictione cōsunt. At scire velim, quid tunc praestet illa sanctitas? ut scilicet legato ejusque hominibus dominus suutissimum sit refugium atque receptaculum? atqui omnes aedes, omnia loca id ipsum legato praebent, nam qui nec conveniri, nec accusari, nec puniri potest, inter medios officialem cohortes tutus obambular. Eo igitur, ex plurium sententia, illa sanctitas non pertinet, sed ne ex aedibus legati liceat extrahere vel celestissimum quemque. Paschalius in Legato C. 76. improbat eum, qui apud plerosque

que adolevit, morem, ut domus legatorum
sint Asyla improborum. Et addit: Id quod
cui rei inventum dicam? tuendo decori lega-
tionis? ridicule. Potius ad proponendam &
vere praestandam sceleribus impunitatem; quae
utique provocantur hoc perfugio, ubi homini
scelesto non solum tuto esse, sed & Magistra-
tus cohortem inridere, eive probra jacere,
& minas manusque intendere licet, opposito
nomine & auctoritate legati, res est, si ve-
rum fateri licet, pessimi exempli. Sed ho-
nestam hanc orationem mox conspurcat in-
epita distinctione inter crimina Majestatis,
aliave atrociora, & quae minus atrocia
sunt, ut in illis, non in his extrahere li-
ceret facinorosos; quae distinctio nec ra-
tionem, nec auctoritatem ullam habet.
Zoucheus Jur. Fecial. inter Gent. Part. II.
Seet. 4. n. 21. sententias Grotii & Pascha-
lii, & Abundii historiam, quae exemplo
fuerit, recitasse contentus, nihil ipse de-
finit, ut parum solet ex suo ingenio sa-
pere. Sane, si ex ratione agamus, du-
bito, an quicquam magis fatuum exco-
gitari possit, quam jus Atyli legatorum ae-
dibus tribuere, si Pauca sunt adeo absurdā,
ut non aliquā saltem ratione nitantur, hoc
autem qua nitetur? dic aliquem so-
des hic Quintiliane colorem. Legati-
ne, ut latrones recipiant, mittuntur?

vel an sine receptione commode legationi vacare non possunt ? dices fortasse , inquisitione aedium legatum turbari. Nugae: nec enim magis turbantur , quam alii receptatores , & , si legati non sint receptatores , ad eum cur magis , quam ad alium , confugiunt facinorosi? deinde quis erit exitus ? ut ipse legatus facinorosum puniat vel dimittat. At punire nequit , quia ipse , & qui eum misit , apud nos jurisdictionem non habent , utique , ut inter omnes constat , non in subditos nostros , qui apud nos delinquunt. Si dimittat , exuit nos jurisdictione nostra in subditos nostros , in re , que nec ad legatum , nec ad legationem quicquam pertinet , & cui se importune immiscet. Omnia legatorum privilegia , quibus utuntur ex tacito Gentium consensu , non alio fine comparata sunt , quam ut tuto fine remora , sine impedimentoo cujusquam officio suo fungantur. Possunt autem tuto fungi , etiam si facinorosos non recipient , nec occultent , nec Principi , apud quem sunt , intervertant jurisdictionem , non in sui vel suorum , at tertii , ad se non pertinentis , gratiam . Sed ejusmodi haec sunt , ut vix seriam disputationem desiderent.

Attamen is furor saepe legatos , corumve Principes occupavit , ut non tantum aedibus lega-

legati, sed & integris circa eas regionibus & vicis jus Asyli tribuant. Tacitus *Annal. L. III. C. 62.* non modo templis quibusdam, sed duobus millibus passuum sanctitatem, quae templis debebatur, tributam memorat. Idem legati sibi arrogarunt circa eas Urbis regiones, in quibus ipsi habitabant. Franci potissimum id jus Asyli non tantum magnis animis, sed & armis defenderunt, & Romae Seculo sexto decimo & septimo decimo saepe ea res agitata est inter legatos Franciae & Pontifices Maximos. Innocentium XI. jus illud Asyli abolere constituerat, sed quemadmodum legatus Francicus Anno 1687. sese opposuerit, reliquis haud multum Papae reluctantibus, relatum est *in de Hollandsche Mercur. ad annum 1687. p. 191-197.* Sixtus V. cui tantum animi erat, & antea id tentaverat, sed cupidum, pater optime, vires destituebant. Hoc ipsum jus Asyli, quod ad totas Urbis regiones, olim Madriti obtinebat, at Anno 1684. legatis denunciatum est, ne ea immunitas in posterum extenderetur ultra limina aedium; neque ei Decreto nimium contradixerunt legati, nisi quod, qui ibi erat Belgii Foederati nomine, plus rationis esse responderet, si jus Asyli in Hispania Ecclesiis adimeretur, ut est *in de Holland-*

Sed recte regionibus cesserunt, qui etiam aedibus cedere debebant ad inquirendos & apprehendendos facinorosos: neque enim dubitamus, quin optimo jure Hispani Francorum legati domum vi intraverint (si non diripuissent) apud Morlacium ad l. 2. §. 3. ff. de *Judic.* quod facinorosum domu sua extrahi passus non erat. Magnas ea res turbas dedit, quas Papa deinde compoſuit, ut narrat Wicquefort *L. I. Sect. 28. p. 885.* Neque etiam dubitamus, quin recte Veneti Francici legati domum oppugnare constituerint, nisi Abundium & reliquos proditores, qui ad ipsum fugerant, dedidisset. Rem gestam narrat *Vera en son parfait Ambassadeur L. I. C. 42.* Zoucheus *d. P. II. Sect. 4. n. 21.* & Wicquefort *L. I. Sect. 28. p. 873. & 874.* Cum legatus Regis Lusitaniae Hagae Batavorum Anno 1642. Hippocomum, qui ipsum deceperat, domi suae captivum detineret, atque ita carcerem privatum exiceret, aedes ejus a furiosa plebecula direptae sunt, nec tamen, quantacunque earum sanctitas esset, quicquam poenarum exactum yit refert idem Wicquefort *d. L. I. Sect. 28. p. 882. & 883.* & Aitzema *L. XXII. p. m. 452. & 453.* Et

Et cum quidam ex officio legationis Muscoviticae aufugissent, eosque legati omnimo repeterent, & in domo legati Poloni latere crederentur, Ordines Generales Anno 1663. 25. Jun. Decreto complexi sunt, dat de *Huysen of Logementen van Residenten alhier in den Hage geensints syn exempt van rechberche, soo wanneer men aldaar d'een of d'andere persoon met goed regt en fundament van wegen de Overigheid, of justicie souden willen attraperen*, vid. Aitzema L. XLIII. p. m. 756. & *Hollandsche Mercur. ad Annum 1663. p. 78. & 79.* Secundum haec Anno 1665. Hollandiae Ordinum Consiliarii quemdam ex Residentis Anglici aedibus per Officiale suum expostularunt, idque Ordinum Generalem Decreto comprobatum est, ut testatur Aitzema L. XLV. p. m. 796. Factum igitur Cromwellii, quod memoravi C. XVIII. non ideo improbem, quod homicidam extraxerit ex aedibus legati Lusitani, ut alii id ea ratione improbant, sed quod comitem legati extraxerit, in quem, utpote sibi non subditum, nulla eius erat jurisdictio.

Si non immunes aedes, quas ipse legatus habitat, minus immunes erunt, si scriba legationis habitet. Defecerat ad Hispanos Lusitaniae legatus, qui Hagae Ba-

Batavorum erat, scriba, qui manserat in fide, & eadem, quam legatus habitaverat, domo, contendit, se in locum legati successisse, legationis se esse scribam, non legati, Curiae nullam in domum legati jurisdictionem esse, in eam tamen immisisse Officiales suos, & sic jus Gentium laesisse. Scribae ad stipulabantur Franciae & Angliae legati, ac si de communi legatorum causa ageretur. Sed responsum est, Curiam recte officio suo functam, non invito legato, qui ipse domum conduxerat, & adhuc conductam habebat; ad processus creditorum, rei servandae causa, Officiales fuisse missos; legationem esse extinctam; nec quicquam scribae juris esse vel in domum vel in supellectilem; quin hac legatum, vel nuper legatum, creditoribus suis cedere, & iis ea ratione consultum velle. Rejectis querelis vicit Curia, ut est apud Aitzema L. XXXIX. p. m. 655. 662. & 663. & recte vicit.

Longo usu legatum jus Afyli quaerere non posse & alii observarunt, vid. Huberum de Jure Civit. L. III. Sect. 4. C. 2. n. 32. Etiam ideo id verum est, quod actuum frequentia & patientia, quae ad praescriptionem suffecerint, vulgo deficiant. Ipsi Pontifices Maximi, apud quem legati potissimum in eam rem peccant, saepe vi &

& vi armata imperium & jurisdictionem suam sunt tuiti, interrupta sic possessione nefariae consuetudinis. Atque haec forte addi poterunt iis, quae audio Thomassum scripsisse de jure *Asyli*, legatorum aeribus non competente, sed quam Dissertationem oculis meis usurpavi nunquam.

C A P. XXII.

*An quae species sint singulares,
ex quibus legatus detineri posset?*

Quamvis legatum nec ex contractu conveniri, nec ob crimen accusari posse defendamus, an tamen nullo plane casu ei manus injici possit, res est, quae meretur inspici. Quid enim si exul, & in poenam proscriptus, ad nos legetur, an legatorum jura ei competent? & sunt, qui putant apud Bertachinum *Repertor. in V. Ambasiator p. m. 147.* & sunt, qui non putant, *Gehtilis de Legation. L. II. C. 10.* & *Zoucheus Part. II. Seet. 4. Q. 19.* idque est verissimum, quia non omnem legatum recipere tenemur, ut *Grotius L. II. C. 18. §. 3.* & *Zoucheus d. P. II. Seet. 4. Q. 13.* & omnes fere Juris Publici Auctores

res consentiunt. Recte itaque exul non accedere, &c, si jam accesserit, finibus nostris excedere jubebitur, &c, nisi excesserit, injecta manu educetur. Ut ple-
tatur tamen, humanitas & bona fides, quae praesertim inter Gentes exuberan-
tior desideratur, vix admittunt. Etiam ideo, quod ea res videatur dubia, &
in dubio contra non subditum, qui ex mandato venit, quamvis contra manda-
tum nostrum, nihil atrocius statuen-
dum. Neque tamen vetandus quic-
quam jure suo uti, si velit, summo, nam interdictio nostra Principis sui mandatum
praecepsit, & alias Princeps suo mandato sententiam nostram nequit rescindere. Re-
cte clementiae Romanae imputatum apud Tacitum *Annal. L. I. C. 57.* quod Sege-
stis filium, antea ad rebelles profugum, legatum recepere. Haec juris & aequi-
pugna. Quidam hic damnatus, ut lingua e-
jus perforaretur, ad Regem Angliae fu-
git, qui eum hoc legatum mittit. Post-
quam advenisset, Hagae carceri includi-
ditur, sed postea impunis dimissus est, vid.
Aitzema *L. XVI. p. m. 277. & 278.* ac-
cidit id Anno 1636. eo scilicet tempore,
quo hujus Reipublicae quam maxime in-
tererat, Anglos non offendere. Prudentius
Grayio in *Portland*, *Wilemi III. An-*
gliae

DE FORO LEGATORUM CAP. XXII. 177

gliae Regis legatus ad Ludovicum XIV.
Franciae Regem, antequam Anno 1697.
in Franciam abiret, a Franco petiit, &
obtinuit, ut liceret quibusdam, e Fran-
cia exilibus, inter comites suos esse. Abs-
que eo fortasse, ut exules, eos habuisset
Rex Franciae; idem quippe, cum Anno
1673. Utrechtum teneret, etiam Utrecht-
tanum recusavit, qui Ordinum Ge-
neralium legatus esset, ut est *in de Holland-*
sche Mercur. ad Annū 1673. p. 54. quia
scilicet sibi subditus erat, ut multo ma-
gis comitem exulem arcuisset.

Hic quoque videndum est de talione.
Negat Grotius *de Jure B. & P. L. II.C.*
18. §. 7. ejus legatos, qui nostros male
habuit, a nobis male haberri posse, & quam-
vis ejusmodi talionis quam plurima exem-
pla sint, laudat tamen contraria exempla,
quae & ipsa non desunt, & a variis varia
recitata sunt. *Jus Gentium*, inquit, *non*
tantum mittentis cavit dignitati, sed & ejus,
qui mittitur, securitati: quare cum hoc quo-
que tacite contrahitur. Huic ergo fit injuria,
etiam si ei, qui misit, nulla fiat. Optime;
sed ut injuriam distinguimus, sic & jus
talionis distinguamus. Τηρεοχὴ justitiae
negari potest, justitia non etiam, quia il-
la voluntaria est, haec autem necessaria.
Quare ejus legatis, qui nostros male habuit,

vim inferre non licebit, sed forte habere licebit ut subditos, negatis legatorum privilegiis, quae moribus Gentium vulgo introducta sunt, & ad $\nu\pi\epsilon\rho\chi\nu$ iustitiae pertinent. Atque hoc mihi iustum videtur, cum sic ipsi legato nulla fiat injuria, sed soli, qui misit. Alii alter sapiunt.

De repressaliis & omni jure retorsionis tantundem dicimus. Repressalias tolli, eorum, qui non uni Principi subsunt, improbitas non patitur. Variis quidem Gentium pactis earum licentia coercita, sed cui bono haec pacta, si vel nihilominus jus, mutuo promissum, nec dicatur, nec praestetur. Ita rebus exigentibus necessariius esse coepit repressaliarum usus; sed si Ecclesiasticos, si Studiosos, si alios nonnullos repressaliis eximimus, utique eximendi videbantur legati eorumque coimites, qui & per ipsa bella tuti sunt. Sin ajas, legatorum privilegia nulla lege vel Gentium vel Civili esse definita, neque necessitatem habere moralē, atque adeo Principes non obligare, si eorum, a quibus missi sunt, potentia non defendantur, id aīs, quod omne jus Gentium tantum non subvertit. Quod ratione, quod usu & humanitate nititur, & ita apud plerasque Gentes receptum est, ut pro Jure Gen-

Gentium obseruemus, placuit. Legatos repressaliarum esse immunes omnis aevi ratio, omnium Populorum usus probavit, sed quemadmodum id obtinuit, ita & obtinuit exceptio, nisi scilicet injuriam, legato nostro antea factam, vindicemus, quam exceptionem prolixe defendit Kirchnerus in *Legato L. II. C. I. n. 69.* & seqq. Et sic Anno 1665. Hagae in carcerem conjectus legati Anglii scriba, quum Angli prius Ordinum Generalium in Anglia legati scribam carceri inclusissent, vid. Aitzema *L. XLV. p. 1017. & XLVI. p. 167.* Omnes, qui Hagae aderant, legati id factum probasse dicuntur d. p. 167. Sed minus probabant Zelandi, quod soli Hollandiae Ordines, insciis reliquis Foederatis, scribam legati Anglii detinuisse d. p. 1017. & jure merito indignabantur Zelandi, quia belli occasionem praebere singulis Provinciis interdictum est. Ipsi tamen Zelandi non semel alias alia sententia usi sunt; sed hoc jam non ago.

Saepe & ultra progressum est, & repressaliae etiam ad alias causas porrectae. Cum Cardinalis Hassus, ob non restituta Equitum Melitensium bona, omnes Belgum Foederatorum naves in Anglia arresto detinuisse, Ordines Generales 15. Jun. 1662. petierunt, Ordinum Hollan-

iae Consiliarii Cardinalis Actorem, quamvis pro legato habitum, tam apud Ordines Generales, quam Hollandiae, etiam hic arresto detinere vellent. Quod & factum est, & militari custodia detenus ille Actor, donec illud navium arrestum in Anglia solveretur, Aitzema L. XLII. p. m. 365-367. Addunt Ordines in Decreto, quod d. 15. Jun. 1662. fecerunt, secundum Jus Gentium repressalias dari non posse, nisi pro subditorum suorum jure, non autem, cum eorum nihil intersit, & sic tamen Anglos fecisse. Dubito, an recte; si enim recipias repressalias pro subditis, esse non videtur, cur pro exteris neges. Nam justae sunt, vel injustae; si injustae, & subditis per injuriam conceduntur, si justae, non possunt sine injuria peregrinis negari, in ratione juris enim Tros Tyriusve fuat, nullo discrimine habetur. Et omnium judiciorum usu, ubi ex arrestis forum sortimur, comprobatum est, bonis debitoris arresto inclusis, non subdito duntaxat, sed & peregrino jus dici. Nisi tamen speciali lege cautum sit, ut sunt ejusmodi leges, ne duo peregrini in alterius Imperio invicem arrestis utantur. Igitur illa Actoris detentio vix est, ut defendi posse videatur, nec ex jure communi,

ni , nec ex causa legati , ante detenti ,
quae alioquin vulgaris exceptio est.

Orto bello an legati tuti sint , video
queri , & tutos esse responderi , ita certe
respondet Gentilis *de Legation.* L II.C. 13.
De legatis , belli causa missis , ea de re non
est dubitandum , sed si pacis , vel aliarum
quarumlibet rerum ergo missi fuerint , quid
dicemus? liberos manere , nec captivos fieri
etiam Pomponius respondet in *l. ult ff. de*
Legation.. Sed an non senserit de solis belli
legatis , quales fere externi ad Populum
Romanum , est , cur dubites , cum & in
sequentibus de his solis agatur . Perpetui
legati , qui fere explorandi causa habentur ,
rationem si spectes , non meliore , quam
quilibet alii , fato comprehendi videban-
tur posse , sed tamen humanius est , ut
contra dicamus , & iis etiam adversus
jus belli privilegium tribuamus . Franciae
Rex Anno 1667. legatum suum Madriti
manere jussit , donec Hispani id pateren-
tur , quasi salva pace Belgium Hispanicum
occupatus , Aitzema *L. XLVII. p. m.*
§40. sed Hispani mox abire jusserunt *d. L.*
XLVII. p. m. 673. nec , quamvis pessime
habiti , quicquam ultra ausi sunt . Sane si
nos ipsi bellum indicamus , incolmis di-
mittendus erit , etiam pacis legatus , ut His-
pani quoque Anno 1683. dimiserunt Fran-

182 C. VAN BYNKERSHOEK
ciae legatum, & ut vulgo fit apud omnes
Gentes, Eois & Afris quibusdam excep-
tis. Sed & si bellum nobis indicatur, si
non justius, adhuc aequius melius est le-
gatorum omnimodaē securitati consulere,
& sic etiam vulgo obtinet, sola denuncia-
tione, ut abeant, interposita. An Danis
aliud federit, vide apud Aitzema L.
XXXVIII. p. m. 98.

Legatos, si ex mandato faciant, quam-
vis perperam faciant, detineri tamen vel
puniri non posse, inter omnes Juris Pu-
blici Scriptores constat. Ut mirari liceat,
in legatis Provinciarum & Urbium cam-
rem in Foederato Belgio totiens tantas tur-
bas dare potuisse, sed, quia de legatis ex-
ternarum Gentium duntaxat agimus, ma-
lumus haec praetermittere, quam eorum
memoriam refricare.

C A P. XXIII.

*Legatus an jurisdictionem proroga-
re, & Fori privilegio renunciare
possit?*

REgula est Juris Romani in *l. i. ff. de
Judic.* Si se subjiciant aliqui jurisdictioni,
& consentiant, inter consentientes cuiusvis ju-
dicis, qui tribunali praeeft, vel aliam juris-
di-

dictionem habet, est jurisdiction. Quod ita verum est, si, qui consentiunt, de jure suo, non de jure Principis sui decernant: nam vulgo, nec sine ratione, placuit, jurisdictionem prorogari non posse in judicem extra Imperium, cui subest is, quo de agitur; & ita quoque Senatum Parisiensem judicasse refert Mornacius ad d. l. I. Atque id ipsum est, quod Senatus Mechliniensis ult. Aug. 1553. ad Curiae Hollandiae consultationem rescripsit. Exstat Rescriptum Plac. T. II. Append. p. 2987. & Repert. Curiae Holl. p. 78. & recte in Rescripto additur, ita in Belgio semper fuisse servatum. Quo pertinet Philippi Austrii Edictum 22. Maj. 1497. (Plac. II. §. 5. 18. 1.) quo interdicitur, ne quis ex Rescriptis Apostolicis extra Hollandiam, Zelandiam, & Frisiā in jus vocaretur, & ne cautiones exponerentur sub poenis Camerae, quae & ipsae vetantur LL. Frisic. L. III. T. I. §. 5. Sed quod subditis non licet, in praejudicium sui Principis, utique ipsis Principibus licet. Illi possunt, & saepe solent controversiam, inter se exortam, aliis extra Imperium suum Tribunalibus judicandam dare. Sic olim Philippus & Alexander, Macedoniae Reges, litem inter se & exterros motam non in Macedonia, sed ab Amphictyonibus judicari

184 C. VAN BYNKERSHOEK
cari voluerunt, ut auctor est Pausanias
L. VII. Sic etiam Ordinibus Foederati
Belgii & Electori Brandenburgico Anno
1665. placuit, sese in quaestione quadam
pecuniaria submittere magno Mechliniensi
Senatui, qui in eos, tanquam subditos,
jus diceret, ut est in Aitzema *L. XLV.* p.
m. 1080. & seqq. Similia vide apud Ait-
zema *L. XLVII.* p. m. 303. 362. 447. 452.
& 579. & *L. XLVIII.* p. m. 760. 802.
1088. & seqq. & 1207. & seqq. Si hodie
ita saperent Principes, praecideretur non
unius belli causa.

Legatus autem, quum Principis, qui
eum misit, sit subditus, neque ejus vel
Imperium vel jurisdictionem mutet, an
prorogatione mutare possit, ambiguæ sane
inspectionis est. Privatus utique est, quod
ad Principem suum, & qua privatus in-
tervertere videri nequit jurisdictionem,
quae Principi competit in omnes subditos
& privatos. Ut ut igitur recte proroget
jurisdictionem in omnes judices Principis
sui, sic non videtur recte prorogare in ju-
dices alieni Imperii, quae prima contra
prorogationem ratio est.

Sed quid dispuo, si vel omnis proro-
gatio hodie sit illicita. Ita censet Wissem-
bach ad *Pand. Part. I. Disp. 16. n. 7.* ita
alii, quos ille laudat, & auctoritatem
prae-

praebet huic sententiae Cap. 12. X. de *Foro compet.* Andreas Gail. L. I. *Observ.* 40. distinctione quadam, quae plurimis placuit, nonnullis displicuit, hanc litem remit. Sed tamen is quorundam stupor est, ut simpliciter, ordinario repudiato, alium judicem eligi posse negent. Hogerbeetsius, qui & in Supremo Senatu judex fedit, *Inleiding tot de Praet.* §. 1. vers. 5. id etiam §. 9. *LL. Mariae Burgundae Anni 1476.* vetitum esse nugatur; clementer sane, quid non idem dixerit de §. 220. *Formae Curiae Holland.* eo abrogatum fingens §. 8. *eiusdem Formae,* qui prorogationes permittit. Zelandi dudum contendisse dicuntur (*Formul. L. I. C. I. p. m. 25.*) etiam prorogatione in Curiam Hollandiae facta, Zelandum tamen ad Curiam evocari non posse; quod quid sibi velit, non satis intelligo, quia, nisi duo Zelandi eidem jurisdictioni subsint, prorogationem jam concesserat §. 3. *Conventionis inter Hollandos Zelanosque Anni 1607.* ut &, iisdem verbis, concedit §. 15. *Conventionis inter eosdem Anni 1674.* Et generaliter dicendum est, si non sit lex, quae prohibeat, omnem prorogationem permitti. Prohibet d. Cap. 12. & ideo sequendum est, ex ratione juris alioquin haud immerito displicet Hillegero Donell. *Encl. L. XVII.*

C. 10. lit. I. Lex Hollandica etiam prohibet prorogationem in causa assecurationis §. 8. Ampliat. Form. utriusque Curiae, sed recte ante eam Legem Senatus Supremus censuit, etiam jurisdictionem in ea causa prorogari posse, ut est apud Formularium L. I. C. I. p. m. 26. quamvis jam Anno 1613. Lege imperfecta, Amsterdammenses id impedire fuerint conati. Quin fere assentior Hilingero Donell. Enucl. L. XVII. C. 20. lit. K. optimis rationibus disputanti, etiam studiosos renunciare posse fori Academici privilegio, quamvis non nesciam, tantum non omnes Interpretes contradicere, & eorum sententiam obtinuisse, cum Academicus quidam Leidensis in Curiam Hollandiae prorogasset, ut narrat van Leeuwen ad Peckium *de Arrest.* C. 12. p. m. 255: Integris libellis ante aliquot annos ea quaestio agitata est. Hollandiae Ordines Decreto 24. Mart. 1662. (*Placat. III. 3. 7. 13.*) hanc rem ita temperarunt, majores xxv. annis possent jurisdictionem prorogare in alium judicem, intra Hollandiam tamen, dummodo prorogarent *expresse* & *specialiter*.

Facebat igitur malesana quorundam opinio, ipsorum scilicet Magistratum interesse, ne prorogationes fiant, & hi sic juris-

jurisdictione, quam Princeps dedit, excidant. Jurisdictiones distributae non sunt in gratiam judicium, sed eorum, qui judicibus egent. Si partes consentiant, ipsius Praetoris consensum necessarium non esse aperte dixit Ulpianus in l. 2. §. 1. ff. de *Judic.* &c, si secus dixeris, jam de nulla amplius controversia in arbitros compromitti posset, quum omni compromisso minuatur jurisdictione, eaque a judice ad privatum transferatur. Si verum amamus, an quis suo judici renunciare, & alium eligere possit, ex eo solo pendet, an, qui id agit, rem agat sui juris & arbitrii, an vero alterius cuiusquam praejudicium vertatur. Privilegio suo renunciare omnes leges omniaque jura permittunt, si renunciatio soli renuncianti noceat, nec ad alterius injuriam pertinere possit: *omnes licentiam habere his, quae pro se introducta sunt, renunciare, regula juris antiqui esse fertur in l. 29. C. de Paet.*

Quare & de legatis dicendum videbatur, posse hos privilegiis, in gratiam suam, ut commodius degant, introductis, pleno iure renunciare, habere quidem jus revocandi domum, sed non etiam teneri dominum revocare. Quin si tenerentur, ne ipsos quidem agere posse, quia, si agebent, pati possent & deberent mutuas actiones.

nes. Curiae Hollandiae forte ita visum
in legato Lusitano , eum nempe, quod
decessoris sui debita solvenda suscepserat ,
fori privilegio renunciasse videri , Anno
certe 1651. eum per Scribam admonuit,
ut solveret, se alioquin officio suo litigan-
tibus non defuturam , Aitzema *L. XXXI.*
p. m. 506. Et legatum Electoris Brande-
burgici , qui privilegio fori renunciave-
rat , ab ipso arresto immunem non esse ,
Ordines Hollandiæ decrevisse relatum est
10. Febr. 1688. 27. Oct. 1689. & 6. Febr.
1694. Sed creditor in eo facto etiam arresto
incluserat bona legati , sic ut nescias , an ar-
restum , an renunciatio fori Curiae juris-
dictionem tribuerit. Etiam me Senatore
memini Senatum Supremum in legatos ,
qui privilegio fori renunciaverant , jus
dixisse , sed nec ipsis , nec Principibus
suis iudicio contradictibus. Vidi & pa-
cta conventa , quorum novissima parte le-
gati sese submittebant voluntariae condem-
nationi Senatus Supremi , quod utique pro-
tacita renunciatione est accipiendum. Ego
vero , quicquid earum rerum sit , non au-
sim dicere , legatum , inconsulto Princi-
pe , juri suo renunciare posse. Ad quid
enim legatorum privilegia , quam ut ipsi
Principibus suis magis utiles sint , & eo-
rum legatio nulla re impediatur? Magis
igi-

DE FORO LEGATORUM CAP. XXIII. 189

igitur haec privilegia pertinent ad causam Principis, quam ipsius legati; sibi renunciatione sua legatus nocere potest, Principi non potest. Atque ita, consulta ratione, forte dicendum est, legatum in causa delicti nunquam privilegio fori renunciare posse, in causa civili non aliter, quam ut adversus eum jus dicatur, non ut sententia executioni mandetur, si quid per eam impediretur legatio, ut in causa criminali tantum non semper impediri solet. Sed ad manum non sunt ea Gentium exempla, ut ex jure Gentium ea de re possim constituere. Rationi, quam dixi, argumentum praebet l. 24. §. ult. ff. de Judic.

C A P. XXIV.

Variae variorum sententiae de foro legatorum.

Quid nonnulli dixerint & scripserint de foro legatorum, hic illic indicavi, ubi locus id postulabat, quid praeter eos alii senserint, quasi per satyram hic colligam. Veteres Juris Interpretes, in causa civili, distinctionem Juris Romani sequuti sunt, de Jure Gentium, quin & de veris Gen-

Gentium legatis parum solliciti. De causa criminali fere tacent, nisi quod Petrinus Bellus *de Bello Part. II. Tit. 9.* legatos, hostilia molientes, ideo coercitioni nostrae subjiciat, quod fines mandati egressi sint; atque si scilicet hos non egredentur in quocunque crimine, cum nemo unus ad nos accedat cum mandato delinquendi. Agnoscit Bellus in legatis Tarquinii aliter placuisse, sed hoc, inquit, erat primis illis seculis, a quo jure tamen nec posteriora secula desciverunt. Ita olim servatum est, ita & nunc servamus, nisi legatos in perniciem nostram armatos deprehendamus, ut erant Romani inter Clusinos in acie versantes, ad quod exemplum ille provocat, tunc enim hostium numero esse habendos, nemo dubitaverit unquam. Hinc & Q. Fabio ab C. Marcio Tribuno Plebis dicta dies est, *quod legatus in Gallos, ad quos missus erat Orator, contra Ius Gentium pugnasset, cui iudicio eum mors subtraxit, ut narrat Livius L. VI. C. I.* qui hujus & aliorum Fabiorum inter Clusinos pugnam narraverat & damnaverat *L. V. C. 36.* soli Fabio Ambusto hanc legationem & pugnam adscribit Plutarchus in *Numa p.m. 121.* Recte Fabio dies dicta est; sed aliud est a suis, aliud ab his, ad quos mittitur legatus, judicari;

ri, & aliud judicari, aliud in acie occidi. De secunda specie quaerimus duntaxat, prima & tertia huc non pertinent.

Caroli Paschalii sententiam de foro legatorum in causa civili supra exposui. De causa criminali agit in *Legato C. 74. & 75.* sed dum ex *Historicorum, Philosophorum, & Rhetorum hortis omne genus florum excerpit, & in rem suam vertit, vix est, ut sua ipsi mens constiterit.* *Cap. 74.* legatum proditorem nunc ferro & igne persequendum censet, nunc dimittendum, ad exemplum veteris aevi, ita tamen, ut liceat sceleratam conjurationem detegere, disjicere, opprimere intercipiendis literis, deprehendendis coetibus clandestinis, qui forte habentur apud legatum,vincienda & assertanda familia ejus, talibusque usurpandis, quorum ductu ad rem perveniri potest. Nescias etiam, utrum dimissionem legati soli prudentiae, an Juri Gentium adscribat. Juri Gentium, dixeris, cum *Caput 75.* ita ordinatur: *Vix illi quaestioni locus relinquitur, an vulgaris criminis ea sit vis, ut ejus poena a legato expetatur, cui ne perduellionis quidem recte dies dicitur.* Attamen neque in communi delicto sic satis sibi constat, magis quidem, ut videtur, propensior in id, ne a legato ejusve comitibus supplicium sumatur, sed jubeantur exce-

excedere finibus, addito interdicto, ne
redeant, verum hoc, si legatus ab illo mis-
sus est, cuius maxime interest jugi veneratio-
ne benevolentiam nostram demereret. Quod
iterum prudentiae Politicae est, cuius cau-
sam a Jure Gentium semper distinguendam
esse reor. Prout plus minusve me-
tuimus a Principibus, plus minusve lega-
tis dari solet; &, ut detur, omnino ex-
pedit, sed qui de jurisprudentia Gen-
tium acturus est, aliis & certioribus re-
gulis uti oportet, sin autem, semper va-
gabitur pede incerto, ut fere solet Pa-
schalius.

Fredericus de Marselaer in *Legato L.*
II. Dissert. 14. in causa civili adhibet di-
stinctionem Juris Romani, ante a nobis
refutatam, & *Dissert. 13.* in causa crimi-
nali legatum subjicit jurisdictioni ejus,
apud quem deliquit, remissionem humani-
tati & prudentiac, non juri tribuens, cum
maxime in crimine laefae Majestatis. Par-
cere, inquit, hic crimen existimes, nisi plus
legati nomen, quam scelus proditoris timeas,
verum enim vero desinit esse legatus, qui esse
proditor incipit, & reliqua. Habet sane
ea sententia magnam rationem, si Prin-
ceps, qui misit legatum, ejus criminis
fuerit conscientius. Hanc rationem in praec-
cedentibus exposuerat his verbis: *num re-*
mitte-

mittetur, puniendus ab iis, quorum ea propter laudem praemiumque exspectat? connivebit verisimiliter, qui & ipse culpae reus, nec ultor erit, qui auctor. Non ait, ut ajunt quidam male feriati, in omni criminе, remisso legato, criminis impunitatem praestō esse, sed ait, in ea, quam tractat, specie id exspectandum esse, & sic atrox crimē inultum transmissum iri. Scio, Principes per legatos suos saepe rebelliones excitasse, atque ita iis ipsis delinquendi causam praebuisse, sed vel sic, sola interdictione contentus, caetera legatis parcerem: nam, ne dicam, scientiam & auctoritatem Principis difficulter probari posse, sic, ea probata, legatus mandato satifecit, nec ab ejusmodi mandatario, etiam in re illicita, quisquam recte poenas exegerit, qui non omne jus legationis interversum cupit. Non nego, si Praesens periculum immineat, legatum milite & excubiis posse cingi, sive sponte, sive ex mandato agat, sic cinctum posse transmitti, & poenam posci, sed ordine judiciario apud nos accusari puniri que non oportere, id est quod defendo.

Jean Hotman en son *Traité de l'Ambassadeur C. 4.* in crimine laesae Majestatis dubius haeret, & variis distinctionibus rem Potius intricat, quam extricat, sed tandem

dem §. 4. eum videoas acquiescere exemplis Gentium, quae legatos, etiam in hac causa, impunitos dimiserunt. Attamen §. 13. rursus excipit crimina quaedam, non cogitata, sed perpetrata, quae ipse non exciperem, nisi forte solam caedem Principis, apud quem agit, auctore Principe suo factam. Sed quis credat, hanc legato mandari posse? certe mandatam legato unquam fuisse ex Annalibus non comprei, & animus meminisse horret. In delicto communi etiam varie distinguit, & praecipue ad rationes Imperii attendi jubet, sed ea distinctio, ut supra dicebamus, nobis, qua JCtis, nec cordi, nec curae esse debet. In causa civili C. 5. n. 8. & 9. prolixè fallitur, dum non Judices, sed Principem, nec qui misit, sed ad quem missus est legatus, adeundum censet, ut ille de debito legati cognoscat, non alia ratione, quam quod alioquin nemo cum legatis esset contracturus. malae sententiae pejor ratio.

Antonius de Vera en son parfait Ambassadeur L. I. §. 45. in omni criminе legatum subjicit foro Principis, ubi degit, hac una ratione, quod *delinquens* privilegio cadat. Velle addidisset, etiam contrahens: nam, si nugemur, oportet strenue nugari. Sed, sat scio, nemo auctoritate ejus

DE FORO LEGATORUM CAP. XXIV. 195

ejus hominis movebitur contra rationem,
quam in legato non subdito usus Gen-
tium probavit.

Felicianus de Oliva *de Foro Ecclesiae*
Part. III. Quaest. 12. n. 6. & seqq. jus revo-
candi domum, tam in causa civili, quam
criminali, legatis concedit in his, quae
ante legationem, negat in his, quae in
legatione acta gesta sunt. Ex Jure Ro-
mano scilicet sic didicerat, nec ultra sa-
piebat.

In Dominici Arumaei *Jure Publico* ali-
quot sunt de Legatis & Legionibus
Disputationes, in quibus etiam id, quod
nunc cerno, certamen cernitur. De san-
ctitate legatorum quae ibi occurunt, trans-
eo, de foro varie disputatum est. *Tom. I.*
Discurs. 14. ad §. 16. defenditur quoque
distinctio Juris Romani, & transfertur
ad legatos externarum Gentium. Sed ni-
hil ibi praecipuum est, quod refutari
mereatur. Repetitur & laudatur ea di-
stinctio *Tom. I. Discurs. 29. ad Concl. 12.*
damnata Gentilis & Kirchneri senten-
tia, quae crimen Majestatis excipit. Et
fane damnanda est in primis ea senten-
tia, si in reliquis delictis legatum juris-
dictioni ordinariae subjeceris, ut illi
subjiciunt. Ego in omnibus eximi, nec
adhuc muto sententiam. *Tom. II. Discurs.*

21. n. 48. & 49. legatus delinquens simpliciter judicio loci submittitur, sed nulla, vel non idonea ratione. Exstat ejusdem Arumaei Commentatio ad Auream Bullam, in cuius Discurs. I. §. 21. proponit, an legatus in Principem, ad quem missus est, conjurans, puniri possit? & posse puniri contendit, quamvis res in solo conatu substiterit, oportune ex epistula Marci ad Verum (non, ut ait, Veri ad Marcum) haec recitans: Scis ipse, quid avus tuus Adrianus dixerit: misera conditio Imperatorum, quibus de affectata tyrannide, nisi occisis, non potest credi. Ejus autem exemplum ponere, quam Domitiani, qui hoc primus dixisse fertur, malui, tyrannorum enim etiam bona dicta non habent tantum auctoritatis, quantum debent. Quamvis autem Arumaeus potissimum disputer contra eam, quam mox dixi, Gentilis & Kirchneri sententiam, plurimas tamen habet rationes, quae generaliter militant pro foro delicti. Plerasque ipse jam recensui, utique quae alicujus sunt ponderis, reliquas scire nihil attinet. Sed & plurimae sunt, quae contra militant, quas & ipse recensui, & quae alias non omnino vincant, victoriam utique reddunt dubiam. Quare configendum est ad exempla Gentium; & haec, ubi maximam partem sibi obstat sentit Aru-

DE FORO LEGATORUM CAP. XXIV. 197

Arumaeus, non juri, sed animi magnitudini adscribit. Quasi vero intersit, ecquid moverit Gentes, cur pro dimittendo magis, quam puniendo legato judicaverint, modo pleraque ita judicaverint, ut ut rationes in utramque partem fuerint dubiae.

Christophorus Besoldus in *Disputatione de Legatis & Republica augenda n. 11. & 15.* distinctionem Juris Romani sequutus est, at in *Dissertatione de Legatis eorumque jure* (ubi, quicquid est hujus argumenti, prolixo tractavit) C. 5. §. 21. in foro criminis aliam distinctionem tentat, an non puta, si delinquat legatus *contra officium hominis*, ut ipse loquitur, adulterium forte vel homicidium perpetrando, ad Principem suum sit remittendus? Sin autem *contra officium legati*, & ejusmodi crimen sit, quod non puniret, qui legatum misit, tunc in eum, tanquam in hostem, animadverti possit? & in prima specie pro transmissione legati palam respondet, in secunda dubius animi est, & varias variorum sententias narrasse contentus, nihil ipse definit. In foro contractus d. C. 5. n. 25. antiquum obtinet. sed his omnibus supra defuncti sumus.

Legi Disputationem de Legato sancto, non impuni, quam Anno 1699. sub auspiciis

Henrici Cocceji Francofurti ad Viadrum
habuit Fredericus Wilelmus de Luderitz,
& qua obviam itur sententiae, quam nos de-
fendimus de utroque foro legatorum. Digna
est Disputatio, quae legatur & exequiatur.
Quod ait Auctor, apud Veteres extra con-
troversiam fuisse, legatos in loco, ubi
degunt, forum sortiri, sola ejus fide dictum
crede, nam contradicunt tot auctoritates,
quot ipse attuli, & ipse mox adfert. Hoc
largior, ex sanctitate legatorum, quae
tantopere praedicatur, quaestionem de fo-
ro non videri aestimandam, sed non lar-
gior, ex jure Naturali, ut ille putat, de ea
constitui oportere. Jus Naturale nec homi-
nes distinguit, nec dominia, nec Imperia;
jus Gentium distinguere docuit, & qui in
Imperio nostro sunt, jurisdictioni nostrae
subjicit, sed an & legatos subjecerit, an ve-
ro exceperit, ex ratione & usu Gentium
derivandum est. Fallimur, si aliud esse
Jus Gentium putemus, quam putaverunt
veteres JCti, quodque ratione & usu to-
tum absolvitur. Ut Juris Civilis pars est,
populi consuetudo, quae singulos obli-
gat, sic Gentium consuetudo, ex pree-
sumpta voluntate, singulas Gentes obli-
gat, nisi palam ei obnunciaverint, ut, re
integra, obnunciare possunt. Quicquid
ex usu Gentium adfertur, ut legatum non
subdi-

subditum dicamus, Auctor Disputationis, praeēunte Arumaeo, ad solam animi magnitudinem refert, ego ad Jus Gentium, quod voluntarium appellamus, refero. Nec interea legatum, qui deliquit, pronuncio impunem, nec nego, manu repellere posse, si manu agat, nec etiam, si res exigat, custodiri posse, quae omnia ipse tantopere urget, sed nego, constituto judicio de legati vita, bonis, existimatione quemquam decernere posse, nisi Principem, qui misit, eumve, cuius jurisdictioni antea suberat, Magistratum. Nec est, quod metuamus ab imminenti periculo, ut ille metuit, cum vel expulsione legati, vel custodia nos eo libermus, judicio semper ad ejus Principem rejecto. Idem Auctor in contractibus, quancunque celebratis, legatum subjiceret foro loci, ubi est, nisi distinctio Juris Romani, quae olim quod ad legatos obtinebat, nunc quod ad alios quovis in mores Gentium transivisset: quam & ideo servandam praecipit. Probo, quod moribus Gentium nunc stare velit, sed vero in aliis quibusvis, si vel alibi antea contraxerint, arrestis utimur, & inde forum derivamus, contra rationem Juris Romani; idem igitur adversus legatos licebit? ipse non dicet. Quare domum revocant
lega-

legati , absque ulla distinctione , ex solo privilegio , quod Jus Gentium introduxit . Ex eadem Disputatione didici , etiam Richardum Zoucheum librum singularem scripsisse de Legati delinquentis judice , sed quem habere vel videre mihi non licuit . Si non alia ibi dixerit , quam de eodem argumento dixit in libello de *Jure Faciali inter Gentes* , facile eo poterimus carere .

Possim aliquos addere , qui sententiam suam dixerunt de foro legatorum , veletiam de usu Gentium testati sunt , sed & possum praeterire , quia plerique simpliciter respondent , quid sibi videatur , rationibus hic illic aspersis , quas supra occupavi , vel de moribus Gentium pronunciant , sine ullis populorum suffragiis . Franciscus Albertus Pelzhoffer *Arcanor. Stat. L. IV. §. 10. 13. & 14.* inter privilegia legatorum recenset immunitatem fori tam civilis , quam criminalis , excepto crimine laesae Majestatis . Ulricus Huberus de *Jure Civit. L. III. Sect. 4. C. 2.* in utramque partem de utroque foro legatorum disputat , sed tandem agnoscit , utilitatem tacitum inter Gentes pactum de universa illorum exemptione produxisse videri . Ita tamen rem temperavit n. 19. ut per modum defensionis & interdictionis legatus cohiberi possit , quod ipsum nos uberioris sumus exsequuti . Simon

a Groe-

a Groenewegen ad l. 2. §. 3. ff. de *Judic.* generalem quoque legatorum exemptionem tuetur, ex aliorum penu quaedam in hanc sententiam depromens. Petrus Bort *de Arrest.* C. 4. n. 6. & seqq. ajentium & negantium ordines ex curta, quam habebat, supellecstile exponit, & n. 13. & 15. ipse cenlet, in Hollandia distinctionem Juris Romani, etiam in legatis externarum Gentium, sequendam videri. Quid ejus rei sit, ex professo in superioribus explicavi, sed de nostra hac aetate, quod ille ait, utique verum non est. M. de Callieres, qui & ipse Regis Franciae legatus fuit, *en sa Maniere de negotier avec les Souverains* C. 9. legatorum partes recte egit in causa fori, ex ratione defendens, quod alii plurimis exemplis Gentium defendebant. Jean Barbeyrac in *Not. ad Puffendorf de Jure Nat.* & *Gent. L. VIII. C. 9. n. 12.* negat quoque, legatos delinquentes a Principe, apud quem agunt, puniri posse, & postquam modum, qui servandus sit, ex Grotio praescriperat, mox addit: *Lors même que la Chose presse, il est permis de se saisir d'abord de sa personne, comme d'un Ennemi declaré, de le tenir en prison, & de le faire même mourir, si cela est nécessaire pour notre conservation. Non intercedo, si aliter res salva esse nequeat; salus*

202 C.VAN BYNKERSHOEK DE FOROLEG
Populi, salus Principis, suprema lex esto.
Sed fere semper res aliter salva esse potest,
si non manu agat legatus, & tumultuar-
ria caede succumbat. Expulsio vel cu-
stodia legati alioquin sufficerit, ut saluti
nostrae consulamus. Vides, Lector, quot
capita, tot fere sententias, tuum erit
in hoc depraelantium hominum certami-
ne discernere, quis justius induit arma.

F I N I S.



CON'

CONSPECTUS CAPITUM.

C A P. I.

*Legatorum varia nomina, nec una conditio,
sed nihil haec pertinere ad forum compe-
tens.*

Pag. i

C A P. II.

Forum competens unde aestimari oporteat. 6

C A P. III.

*Princeps in alterius Imperio quo jure cense-
tur, quod ad forum competens.*

ii

C A P. IV.

*Principis bona in alterius Imperio, an per
arrestum forum tribuant?*

23

C A P. V.

*De sanctitate Legatorum, & an haec, an
quid aliud praestet privilegium fori.*

30

C A P. VI.

*De foro competenti legatorum quid Jure Ro-
mano cautum sit, & de quibus legatis id
sit intelligendum.*

37

CONSPECTUS CAPITUM.

C A P. VII.

*Ex sola ratione in utramque partem dispu-
tari posse, & disputatum esse de foro le-
gatorum.*

48

C A P. VIII.

*Singularis ratio pro jure revocandi domum.
Unde sciamus, an hanc, an alias Gentes
probaverint. Testimonia & exempla pro
eo jure in causa civili.*

58

C A P. IX.

*Annotatio ad Edictum Ordinum Generalium,
quo in causa civili legatis permittitur do-
mum revocare, & ad sententiam Grotii
de eodem jure.*

65

C A P. X.

*Ubi & quemadmodum legatus, in causa ci-
vili, sit conveniendus? & ubi Consules,
qui dicuntur?*

73

C A P. XI.

*Ubi conveniri debeat legatus, qui in loco, ubi
legationem obit, habitabat, antequam le-
gatus esset?*

78

CAP.

CONSPECTUS CAPITUM.

C A P. XII.

Variae inspectiones de foro competenti pro varia conditione legatorum. 86

C A P. XIII.

An domum revocent omnes legati, cujuscunque dignationis? 92

C A P. XIV.

De Legato Mercatore. 99

C A P. XV.

De Comitibus legatorum. 108

C A P. XVI.

Quibus ex causis legatus possit conveniri in loco, ubi legatione fungitur, & quemadmodum tunc facienda sit judicij denuntiatione. 115

C A P. XVII.

Si legatus deliquerit, ubi de delicto agendum sit, difficulter ex sola ratione expediri posse, praevalere tamen videri sententiam Grotii. 132

CONSPECTUS CAPITUM.

C A P. XVIII.

De moribus Gentium quod ad forum legatorum in criminibus.

141

C A P. XIX.

Rursus de exemplis, ex usu Gentium, & quae contra dici possint.

153

C A P. XX.

Si quis e familia legati delinquisse dicetur.

160

C A P. XXI.

Aedes legati an praebeant asylum?

168

C A P. XXII.

An quae species sint singulares, ex quibus legatus detineri posset?

175

C A P. XXIII.

Legatus an jurisdictionem prorogare, & fori privilegio renunciare possit?

182

C A P. XXIV.

Variae variorum sententiae de foro legatorum.

189

OPE^a


OPERARUM VITIA.


P. 7:	Lin. 21.	pro forun	lege forum.
23.	12.	eius	l. eorum.
31	25.	quicquam	l. quisquam.
34	5.	hominis	l. homines.
55	17.	exprobat	l. exprobrat.
61	26.	qua	l. quae.
68	24.	secundam	l. secundum.
75	3.	convenerit	l. conveniret.
90	7.	dixerit	l. dixerat.
102.	ult.	extradendam	l. tradendam adversa-
114	2.	dudenda	l. ducenda. (rio;
126	16.	quem	l. quam.
129	24.	narratur.	l. narrat.
142	23.	humanis	l. humanae.
163	15.	castigabat	l. castigabit.
171	13.	Innocentium	l. Innocentius.


200-500

200-500

//







A FD/0157



UNIVERSIDAD DE SÉVILLA



600708177

I 27859575



BURKERS
GOUD
de foredier
gatvijf

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157

157